



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De quarto, quinto, & sexto decalogi Præcepto II.
De septimo decalogi Præcepto. III. De octavo decalogi Præcepto. IV. De
Ecclesiae Præceptis. V. De Sacramentis in genere & quibusdam in specie.
VI. De Pœnitentia. VII. De Matrimonio

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Tractatus I. De quarto, quinto, & sexto decalogi Præcepto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53587)



TRACTATUS I.

DE

QUARTO, QUINTO, ET SEXTO
DECALOGI PRÆCEPTO.

SECTIO I.

DE

QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAPUT I.

Filiorum erga parentes obligationes.

Patres terreni Patris cœlestis sunt imagines, quoniam ab iis filiorum vita promanat; quamobrem de cœlesti Patre sanctus Paulus ait: *Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur (Ephes. 3.)*. Ideo quarto Præcepto, parentes Deus honorari jubet; primumque hoc est secundæ Tabulæ præceptum, quæ proximum respicit. Verbis hisce in Exo-
Godeau Theol. Mor. Pars II. A do

do enunciantur: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram* (cap. 2.).

Quatuor erga parentes facienda hoc præcepto filiis jubentur: 1. amor, 2. reverentia, 3. obedientia, 4. subsidium: & quatuor hominum genera patrum nomine comprehenduntur. *Primo* parentes, qui nos secundum carnem genere: *secundo* patres spirituales, videlicet Episcopi, inferioresque Pastores: *tertio* qui temporalem in nos potestatem exercent, videlicet Reges, Principes, provinciarum Gubernatores, & Domini: *quarto* qui nos auctoritate supereminent, scilicet Præceptores, Tutores, alique hujusmodi. Deo adorationem cultumque debemus, quod præstat *Religio*, tribusque primis præceptis nobis imperatur. Parentibus carnalibus debetur honor, qui quarto jubetur præcepto, & *Pietas* vocatur: Superioribus spiritualibus & temporalibus debemus reverentiam, quæ *observantia* appellatur. Cætera, quæ proximis debemus, officia postremis sex præceptis sunt comprehensa, & *justitia* vocantur.

Natura ipsa per se filios ad parentum amorem cogit, & ideo si quis patrem suum aut matrem non amat, hunc naturam suam exuisse dicimus. Enorme igitur peccatum committeret, quicumque patri suo grave aliquod corporis vel animæ malum cuperet: quod sane peccatum gravius esset, quam si alteri malum idem optaret. Hoc attendant filii, qui mortem parentum cupiunt.

Filiorum erga parentes obligationes. 3

Inhumanam, & naturæ religionique contrariam opinionem profert novus Casuista asserens, posse filium patris sui mortem optare; & de illa lætari, non tamquam patris sui malo, sed tamquam de bono quod sibi obvenit, patris siquidem morte hæreditatem obtinet; docetque hic Auctor filium mortaliter non peccare, si hoc desiderium eliciat, dummodo intentionem rectificet, nec absolute mortem patris optet, sed quatenus bonum sibi aliquod affert (a). Quicumque naturam audit, crudelem hanc opinionem damnabit: valde autem miror christianas aures hanc pati posse; sicuti & alteram, nempe posse filium patrem suum abnegare, quia damnum aliquod vel opprobrium timet.

Verum non sufficit amorem hunc interius fovere, sed exteriori aliquo signo est declarandus; hinc filius, qui patri molesta verba objicit, lethaliter peccat, si id sæpe diuque faciat. *Fili* (inquit Ecclesiasticus) *Suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius & si defecerit sensus, veniam da, & ne spernas eum in*

(a) Opinio hæc jam dudum ab Innocentio XI. in sequente propositione fuit damnata: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.* Num. 14. Huic addi potest similis alia ab eodem Pontifice reprobata: *Licitum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* Num. 15.

in tua virtute (Eccles. 3.). Qui affligit patrem (ait Sapiens Prov. 19.) & fugat matrem, ignominiosus est, & infelix. Chaldaica versio legit: Qui deridet patrem. Idem Salomon inquit: Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ (Prov. 30.). Qui patri vel matri est injurius, omnem ille humanitatis sensum exiit, & communi hominum sepultura est privandus, & corvis, aquilisque exponendus; & quoniam longævæ hæ aves sunt, hinc malis his filiis certam inatur punitio, cum iis puniendis numquam defuturus sit carnifex. In Exodo filius patri maledicens morte punitur: Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur (Exod. 21.)^(a).

Præ-

(a) Grave proin peccatum filii committunt, qui parentibus dure respondent, eos alloqui, aut aspicere dedignantur, qui eisdem detrahunt, illudunt, vel omnino violenter resistunt &c.; graves enim hæ sunt injuriæ, & caritati, & pietati contrariæ. Imo quæ contra quosvis alios commissa venialis peccati limites non excederent; contra parentes admittit multoties mortalis peccati malitiam induunt, nisi nimia ruditas, aut tenera ætas culpam minuat. Hanc itaque filius discolis explicare, & ingratitude exaggarare Confessarius tenetur, proponendo Dei præceptum, liberorum obedientium præmia, inobedientium pœnas. Jesus in officina S. Josephi pueris: Maria tenella in domo S. Annæ puellis pro vivacissimis obedientiæ, amoris, & reverentiæ speculis servient, horumque in honorem suggestæ oratiunculæ, indies recitandæ, multum ad emendam conferent.

Filiorum erga parentes obligationes. 5

Præter verba, quibus parentes honorare filii debent, iisdem in spiritualibus & corporalibus necessitatibus opitulari tenentur. Si ægri sint parentes, curandum est, ut Pœnitentiam cæteraque Sacramenta suscipiant: neque excusantur filii, si, ne illos turbent, sine Pœnitentia mori permittant. Neque a conficiendo testamento sunt impediendi, ne pia legata instituant, aut restitutionem aliquam jubeant: quæ omnia exequi oportet, si a parentibus præcipiantur, quod tamen plures filii sine scrupulo facere prætermittunt. Igitur mortuis parentibus, ultimam eorum voluntatem quantocyus exequi filii tenentur, piaque implere legata: quod si diuturnior, gravisque in exequendo negligentia adsit, mortaliter peccant.

In corporalibus necessitatibus succurrere iisdem oportet: si infirmi jacent, visitandi sunt, & juvandi: si in carcere sint, aut in captivitate, liberandi sunt, vel redimendi.

Sive extrema, sive gravi premantur parentes necessitate, debent in utraque filii iisdem pro viribus succurrere. Tamque arcta est juxta sanctum Thomam (2. 2. qu. 189. art. 4.) hæc obligatio, ut mortaliter peccent filii, si desertis parentibus Religionem ingrediantur. Quod si professionem emiserint, juxta plures tam in extrema quam in gravi parentum necessitate Religionem deserere filius debet; verum Cajetanus (Sum. c. 14. n. 14.) & Navarrus ad extremam necessitatem obligationem hanc redigunt: nisi patre in gravi necessitate constituto Religio-

nem filius fuerit ingressus, quia tunc egredi debet: injuste siquidem Religionem ingressus est; posset etiam absque Superioris facultate, dummodo hanc petierit, Religionem deserere. Hac tamen exceptio est adhibenda, nempe ne filius e Religione egrediens æternæ salutis discrimen in mundo subeat; tunc enim hoc discrimen propter temporalem parentis sui salutem non teneretur subire, quemadmodum parenti non est obtemperandum, si peccatum jubeat, aut aliquid Deo injurium. Tunc etenim illius Christi sententiæ meminisse oportet: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus (Matth. 10.). Honorandus est pater (inquit sanctus Augustinus de verb. Domini serm. 7.) sed obediendum est Deo. Amandus est generator, sed præponendus est creator. Facite gradus, & cuique, quod debetur, restituite. Nolite autem minora potioribus subdere. Amate parentes, sed præponite Deum parentibus. Amare nos parentes Scriptura sancta jubet, veluti propria viscera, sed dummodo nos a Christi servitio non avertant, alioquin nec sepultura a nobis illis debetur. Parentum, uxoris, & filiorum amorem Christus non abstulit, sed ordinavit. Non ait, Qui amat patrem suum; sed: Qui amat plus quam me, non est me dignus. Pater genuit, sed non ipse formavit: pater nutrit, sed non de suo: pater panem esurienti porrexit, sed de alieno. Relinquit ut possideas, recedit ut succedat; nec eum decessorem quasi successurus spectat, sed inhæreas semper mansuro semper mansurus.*

Filiorum erga parentes obligationes. 7

Parentes honorandi ac juvandi præceptum turpiter Pharisei corruperant, quemadmodum illis apud sanctum Matthæum Christus reprobat: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dicit: Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum & matrem suam; & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram (Matth. 15.).* Illi siquidem Judaici populi simplicitate abutentes, docebant non teneri parentibus in eorum necessitatibus subvenire, quicumque bona sua Deo promississet; sed dicebant, ut pariter apud sanctum Marcum ipsos Christus increpat: *Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit: & ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri (Marci 7.).* Hinc parentes debito ac necessario privabantur auxilio; interimque Pharisei a filiis templo factam oblationem capiebant, & pietatis velo suam tegebant avaritiam.

Obedire quoque tenentur parentibus filii in iis, quæ ad familiæ regimen spectant; quæ si gravia sint, & a filiis ex contemptu omittantur, mortaliter illi peccant. Idem de iis est dicendum, quæ ad mores pertinent; ideoque si filius patri non pareat, cum de vitiis suis corrigitur, & a graviter peccandi occasione removetur, mortaliter peccat.

Invito patre uxorem ducere, quando hoc matrimonium familiæ commodis obest, grave quoque est peccatum.

Honor pariter & reverentia parentibus debetur; illosque verbis ad iracundiam provocare gravissimum est peccatum. In Exodo legitur: *Qui maledixerit patri vel matri, morte morietur (cap. 21.)*. Apud Ethnicos vulgatum erat hoc axioma: *Ipso vultu læditur pietas*.

Qui ad eminentem dignitatem evecti pauperes parentes dedignantur agnoscere, mortaliter peccant. Quidam tamen Auctores docent, licere aliquando filio patrem suum palam nolle agnoscere, dummodo victui necessaria illi tribuat: ego vero numquam id consulerem, veluti contrarium pietati, humilitatique christianæ, quæ nos ad illam etiam abjectionem amandam impellit, quæ ex natalium vilitate oritur.

Recens Casuista docet probabile tutumque in conscientia esse, posse filium absque patris consensu nubere; & ex alio Auctore docet, adeo filiam quoad matrimonium esse liberam, ut, invito patre, marito etiam indigno nubere possit. Addit ille, etsi Evaristus Papa nullum filie matrimonium declaret, nisi pater assentiatur; etsi sanctus Ambrosius & sanctus Leo asserant, non esse laudandam filiam, quæ sibi maritum quærat, sed hunc a patris iudicio esse expectandum; etsi sanctus Paulus expresse doceat, a patribus filias esse nuptui dandas; ex his omnibus utique inferri conveniens esse, ut patris consensu

si petatur; non vero malum, aut mortale peccatum esse, si consensus iste non petatur, aut si quis invito patre nubat. Qui sic loquuntur, hi profecto sanctos Patres, sacrasque Paginas contemnunt, suaque commenta veluti orthodoxas decisiones sectantur.

Filius patrem de gravi crimine accusans mortaliter peccat, nisi læsæ majestatis crimen id esset, aut in Reipublicæ perniciem vergeret; tunc enim bonum Reipublicæ, & Regis vita, qui populi pater communis est, particulari patris commodo sunt anteferenda.

CAPUT II.

Gravia parentum officia.

Tria filiis tribuere parentes debent; moderatum amorem, alimenta, ac bonam educationem.

Moderatus parentum erga filios amor sit oportet; quia amor prolium nimius nimias calamitates parit, amori simiarum, quæ proles suas improvide amando necant, simillimus.

Alimenta quoque filiis præbere parentes tenentur; quæ si negent, possunt hæc filii apud judicem petere. Hinc parentes, qui bona sua dissipant, aut perire sinunt, graviter peccant. Apostolus Paulus inquit: *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis (2. cor. 12.)*. Unde æstimare licet quam graviter peccent matres, quæ filios exponunt. Quæ ex nimia mol-

litie filios suos extraneis alendos tradunt, juxta omnes sanctos Patres a peccato non sunt immunes, etenim pravam hanc consuetudinem in suis ipsæ liberis passim damnant; *Dum enim continere nolunt* (inquit sanctus Gregorius) *despiciunt lactare quod gignunt.* Novercas se illæ, non matres ostendunt, & contra naturam peccant, quæ lac illis sufficit, ut filios suos alant, quod quidem lac ad illos alendos prorsus est opportunum, cum idem sit sanguis, quo ante ortum sunt aliti (a).

Verum præcipua parentum cura ea sit oportet, ut eosdem in viam salutis dirigant. Nisi peccantes corrigant, aut ex nimia indulgentia & incuria a peccandi occasione non retrahunt, mortaliter peccant. Nil crebrius magisque discrete Sapiens in Proverbiis docet: *Erudi filium tuum, ne desperes, ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam* (cap. 19.). *Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur* (cap. 43.). *Tu virga percutias eum, & animam ejus de inferno liberabis* (ibid.). *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ* (cap. 29.). *Filii tibi sunt? erudi illos, & curva illos a pueritia illorum* (Eccl. 7.).

Apostolo

(a) Juxta Leges primo triennio liberos alere mater, postea pater tenetur, donec ex arte, vel officio vitæ necessaria ipsimet sibi comparare possint (lib. 9. Cod. de patr. potest.). Quod si pater ex inopia nequeat, tenebitur mater, hacque impotente avi, & alii ascendentes (l. 5. §. de lib. agnosc.).

Apostolus Paulus præcipit, ut educantur filii in disciplina & correptione Domini (Eph. 6.). Palchre sanctus Ambrosius ait, episcopale officium a patre in domo sua exercendum; nempe sollicitam circa filiorum mores curam esse adhibendam, ut eosdem a vitiis retrahat, & ad virtutem impellat. Id sæpe in sermonibus suis Parochi illos moneant; dumque eorum confessiones audiunt, interrogent, an officium hoc negligant, sicuti plerique faciunt, qui ideo gravissime peccant (a).

Patres, qui filios a Religionis ingressu impediunt, aut retrahunt, mortaliter peccant; nempe qui illos ad ingrediendum Monasterium cogunt. Tridentina Synodus anathemati subjicit illos, cujuscumque sint conditionis, qui filias suas, aut viduam aliquam, aliamve sæminam invitam cogunt Religionem ingredi (Sess. 25. cap. 18.).

Mutuæ pariter obligationes quædam intercedunt maritum inter & uxorem. Non debet mari-

(a) Confessarius nædum graves erga filios obligationes incuriis parentibus exponere, sed & scripturistica exempla, quantum tempus patitur, adjicere debet. Heli nimium filiis indulgens, arca & filiis spoliatus, ac repentina morte punitus, pro exemplo fugæ & horroris: Tobias optimis præceptis filium imbuens, corporis & animæ felicitate donatus, multoque solatio perfusus pro exemplo imitationis serviet. De his equidem fuse Concionatores; ast Exhortationes generales, & publicæ minus, quam particulares & occultæ movent.

maritus uxorem a Dei & Ecclesiæ servandis præceptis impedire; quod si faciat, mortaliter peccat. Quoad voluntarias devotiones, veluti quotidianam Missæ auditionem, preces quasdam, vel peregrinationes, hæc posset ex rationabili causa vetare. Verum si exempli causa frequens Communio ex Confessarii consilio esset uxori necessaria, illam sine peccato impedire non posset.

Si uxorem graviter verberet, grave peccatum committit.

A gravibus quoque verborum injuriis debet abstinere. Quæ uxori sunt necessaria, debet maritus eidem suppeditare; sed caveat ne vanitatem ejus, luxumque foveat, aut ejus vitiis, peccatisve consentiat. Demum cum uxore habitare debet, nec diu ab illa abesse; alioquin grave peccatum committeret, nisi ex rationabili causa abesset, idque domestica negotia exigent. Verum si longa futura esset absentia, uxorem, si posset, secum ducere teneretur.

Uxor contra marito debet obtemperare in iis, quæ bonos mores, & familiæ regimen spectant; nam, ut ait divus Paulus *vir caput est mulieris* (*Ephes. 5.*). Ad maritum igitur pertinet uxorem regere; quæ autem viro mulier non paret, non solum in Reipublicæ bonum, verum etiam in Dei legem peccat, qui viro mulierem subdidit. Quod si mulier supra maritum, aut supra familiam imperium sibi vendicer, lethaliter plerumque peccabit.

Uxor,

Uxor, quæ virum ad iracundiam, aut ad blasphemandum Deum culpa sua provocat, gravissime peccat.

Maritum, quocumque perrexit, sequi debet, nisi illum sequens vitæ discrimen subiret, aut graviter peccandi periculum; aut nisi post matrimonium maritus vagus evaserit, vel in nuptiali contractu expresse promiserit se habitacionem non mutaturum.

CAPUT III.

Reverentia magna Episcopis & Ecclesiæ Prælati debita.

Episcopi, Ecclesiæ Prælati, & Presbyteri sunt Dei Legati, quo titulo in sacris Litteris vocantur. Ecclesiasticus ait: *Honorifica Sacerdotes* (cap. 7.). Inter barbaras etiam nationes Regum Legati veluti personæ sacræ semper sunt habiti; & benigniores quoque Principes Legatorum suorum injurias, veluti sibi illatas, ulti sunt. At Episcopi, Ecclesiæ Prælati, & Presbyteri excellentiori, sanctiorique modo Dei & Jesu Christi sunt Legati, quam Synagogæ Presbyteri. *Pro Christo legatione fungimur* (inquit Apostolus 2. Cor. 5.). Hæc legatio Dei Filii legationem imitatur; sic enim ipse Apostolis suis ait: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos* (Joan. 20.). Quis Missionis Jesu Christi magnitudinem, dignitatem, & sanctitatem mente complecti potest? Quemadmodum autem sua & Legatorum suorum munera commu-

communia sunt, item communes injuriæ & contemptus; ideoque ait: *Qui vos spernit, me spernit (Luc. 10.)*. Nec solum Episcopi sunt Dei Legati; sed de illis insuper ita inquit sanctus Paulus: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Dei, & dispensatores mysteriorum Dei (1. Cor. 4.)*. Sunt etiam illi Christianorum patres; sic enim idem inquit Apostolus ad Corinthios: *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Jesu per evangelium ego vos genui (ibid.)*. Porro carnales parentes honore sunt digni, illosque contemnere impietas est. Illos Ethnici Deos domesticos vocabant; etenim juxta Apostolum: *Ex Deo omnis paternitas in caelis & in terra nominatur (Ephes. 3.)*; idest carnales parentes cælestis Patris sunt imagines, ejusque locum obtinent. Terreni patres terrenam nobis dant vitam, videlicet animale, debilem, brevem, miseris mortique subjectam, & quod dolendum magis est, etiam peccato. Dum filios suos gignunt, terrenam solum illis dare vitam cogitant; & forsân solum concupiscentiam sectantur. At Episcopi & Parochi divinam fidelibus vitam tribuunt, qua Dei filii efficiuntur, sui que Regni hæredes. Quanto igitur amplius sunt hi a fidelibus honorandi? Quantoque magis eorum contemptus est puniendus?

Primis Ecclesiæ sæculis, cum adhuc Evangelii spiritus vigeret, veluti personæ sacre Episcopi colebantur; & quoties prodibant, peculiaris

ria illis reverentiæ & obsequii signa populus exhibebat. Veluti Dei verba eorum dicta Imperatores audiebant. Noluit Constantinus Episcoporum negotia suo iudicio subdere: Non enim, inquit, ad homines spectat illos iudicare, quos Scriptura sancta Deos vocat. Carolus Calvus Galliarum Rex in sua ad Adrianum Pontificem epistola ait: „ Debitum Episcopis, qui in regno nostro morantur, honorem reddimus, aliisque illos colendi præbemus exemplum; nam si nos eo loco constituti, in quo rectum subditis exhibere debemus exemplum, sacras eorum personas contempnimus, a Regum Rege iudicium rigidum tolerabimus, cum exemplum tam pravum dederimus “ Carolus Magnus ante illum dixerat, se illorum fidelitatem habere suspectam, qui suis Episcopis non parent. Additque *Qui illis, quod absit, aut negligentes, aut inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in nostro imperio honorem retinere, nec etiam filii nostri fuerint, nec in Palatio locum, nec nobiscum aut cum nostris societatem aut communionem ullam habere, sed magni sub magna districtione & severitate pœnas luent* (tom. 2. Conc. Gall. cap. 20.).

Quo magis caritas frigit, eo magis debitus Episcopis honor est imminutus. Novissimæ hereses, quæ ecclesiasticam Hierarchiam præcipue sunt aggressæ, & Episcopos abolere conatae sunt, debito Episcopis honori admodum detraxerunt. Verum hi conatus veritatem non evertent: quod Deus decrevit, perpetuo stabit, sem-

semperque Episcopi necessaria Ecclesie erunt fundamenta, & veluti parentes a fidelibus erunt honorandi. *Qui Christo non credit, (inquit sanctus Cyprianus) Sacerdotem facienti, postea credere incipiet Sacerdotem vindicanti.*

Honor Episcopis debitus non externos solum urbanitatis actus complectitur. Si sæculares tantum Proceres essent, satis illud esset; verum Ecclesie sunt Principes, & ecclesiastico more sunt honorandi. Oportet imprimis cum debita semper reverentia de illis loqui. Non omnes, fateor, ita sunt pii, & in suo exequendo munere ita exacti, sicut decet; sed Jesu Christi sunt ministri, quo nomine linguas suas fideles coerceant, & in illis ministri characterem venerentur. Sanctus Paulus, cum Pontificis jussu alapis fuisset in synagoga cæsus, parietem dealbarum eum vocavit; sed propterea a nonnullis objurgatus; se excusavit inquit: *Nesciebam, fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim Principem populi tui non maledicet (Actor. 23.)*. Qua igitur excusatione se protegent, qui suis sermonibus Episcoporum famam lædunt, eorumque occulta crimina pandunt, & exaggerant? Ajebat Constantinus, se pallio suo celaturum, si Episcopum cum femina peccantem reperisset; adeo erat ab eo infamando alienus. Quam graviter igitur Scriptores illi peccabunt, qui ut sua tueantur privilegia circa quæstiones; quæ adhuc sub judice sunt; illorum vitam modo palam arguunt, modo clanculum;

calum; sed eo pejori arte, quo secretior est, & ingeniosior?

Verus honor Episcopis debitus in eo situs est, ut eorum Edictis, quæ pro suæ Dioceseos bono edunt, pareatur, & eorum jussis obtemperetur; ea vero vitentur, quæ prohibent, præcipue sub censura. Si enim temporalium parentum maledictiones filiis sunt metuendæ, sicuti sacræ Litteræ docent; quanto magis Episcopi sui censura fideli est metuenda, qua non terrena hæreditate privatur, sed ab Ecclesiæ corpore amputatur, a Sacramentis arcetur, & diabolo subditur? Religiosi, qui tam audacter adversus excommunicationes declamant, quas Episcopi vel ad averruncanda suarum Dioceseon scandala, vel ad salutaria stabilienda Decreta instigunt, considerent serio quam excusationem coram Deo afferent de Episcoporum contemptu, ad quem populum compellunt. Nescio an sua eos privilegia ab hac reddenda ratione eximant, anve ab hujusce tribunalis justitia possint illi aufugere. Quod si vere huic tribunali subjacent, timeant ne in illo puniantur, si loco veros patresfamilias juvandi in bono filiorum regimine, eorum conatus turbent & impediant. Quod autem de Episcopis ajo, idem proportionaliter dicito de Parochis, qui Prælati sunt subalterni, quibus eadem præstanda est obedientia; quæ quidem obedientia hilaris debet esse & sincera, ut ait Apostolus: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit vobis (Heb. 13.)

Si Parochi Deo animarum sibi commissarum rationem reddere debent, eas doceant oportet; proinde debent illos oves audire, eorumque sermonibus & instructionibus frequentes interesse. Verum cum de parochiali Missa agemus, punctum hoc examinabimus.

Neque vero satis est Episcopis obedire, Deus insuper est exorandus, ut necessarium illis lumen ad sua implenda munera largiatur. Sanctus Paulus fidelium precibus confisus illos, ad quos scribit, rogat ut ad suum prædicandum Evangelium robur sibi a Deo impetrent. In fidelium commodum hoc cedit; nam si cæcus alium ducat, ambo in foveam cadunt.

Pharisæos in Evangelio Christus arguit, qui populum ab honore parentibus debito retraherant, videlicet ab iis in necessitate juvandis, votum prætexentes, quo filii bona sua Templo dicabant. Hinc inferre licet, honorem parentibus debitum esse in eorum necessitatibus ipsis opitulari. Quare Pastorum suorum necessitates debent subditi sublevare. Multis in locis sanctus Paulus prædicaverat, quin aliquid a populis pro victu reciperet; quod quidem sibi gloriæ tribuit: attamen ad Corinthios scribens sic ait: *Ita Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere* (1. Cor. 9.).

De quotidianis fidelium oblationibus olim Episcopi & Presbyteri vivebant; nunc autem

stabilem certosque redditus habent, nempe decimas. Hæ igitur sunt solvendæ, neque hanc solutionem negligere subditi possunt, si vere Pastores suos honorant. Hoc hodie plerique contemnunt, nec timent Prælati negare decimas, quamvis Concilia & Pontifices sub excommunicationis pœna solvi præcipiant; quemadmodum etiam Regum edicta id jubent. Porro ferendum forte esset decimas Parochis non solvi, sed eo impietas prorupit, ut non vereantur nonnulli Proceres eorum bona rapere, & sua dominia Ecclesiæ bonis augere, quæ bonis Regis sunt sanctiora.

Mali Episcoporum, Parochorum, & Sacerdotum mores Christianos non excusant, ne illos honorent, multoque minus debent aliquem impellere ad eorum vitia imitanda. Dei Filius sic inquit: *Super cathedram Moysis sederunt Scribae & Pharisei. Omnia ergo, quaecumque dixerint vobis, servate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere (Matth. 23.)*. Si de Scribis & Phariseis ita Christus loquitur; quanto magis debent Christiani suos audire Pastores, qui supra Filii Dei cathedram sedent? Sanctus Augustinus illos, qui Presbyterorum sectantes exempla pie vivere nolunt, itinerantibus comparat, qui dum terminos reperiunt, qui viam quidem monstrant, sed e suo se loco non movent, eorum secuti exemplum progredi nollent. Deinde subdit: *Non sic quæerunt homines caritate studiosa, quod prædicent ad imitationem, quomodo quæerunt iniquitate suspiciosa, quod mur-*

murent ad direptionem, partim non inveniendis bonos, dum mali sunt; partim timendo invenire, dum mali semper esse volunt (Hom. 5. de Pœnit.).

CAPUT IV.

Honor Principibus, & Magistratibus debetur.

Qui Episcopus ad regendam Ecclesiam posuit, idem ad regendas provincias Deus Reges statuit. *Omnis anima* (inquit Apostolus Rom. 13.) *potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Reges, quos Deus instituit, sive bonos, sive malos honorare subditi debent; nec leve peccatum putent, si debitum illis honorem negent, si verbis lacessant, si mortem, aliudve infortunium illis optent. Eorum jussis parere debent, etiam cum impune violare possent. Hinc emptionem, venditionem, ceterosque contractus juxta illorum leges debent inire. Legitima a Principibus statuta tributa & vestigalia solvere debent. Officia a Principe tradita debent suscipere, nec mollietate aut quietis amore se excusare, aut refugere onus debent, si communitati sint necessari. Ut Principis vitam servent, suam debent exponere, si opus est, & Reipublicæ necessitas exigat. Demum pro Principe Deum debent exorare. Id Apostolus Timotheo præcipit, ut id ipse exequatur, & fidelibus faciendum jubeat.

Obs.

Obsecro igitur primum omnium, fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam & tranquillam vitam agant (Timoth. 2.). Hoc sequens exemplum Ecclesia pro Regibus & Principibus orat in sacra Missæ liturgia; &, qui adest, populus se illi debet conformare. Apertam rebellionem omitto, seditiones, domestica aut extranea fœdera, quibus contra Principem adhærere lex Dei subditis verat; non enim hæc peccata communia sunt, neque ullo nomine excusari, aut defendi possunt.

Dei lex, quæ populum suo Principi subjici jubet, illis quoque eum subdi præcipit, qui regendi populi auctoritatem a Principe obtinent, videlicet provinciarum Gubernatoribus, & Magistratibus. Expresse id tradit sanctus Petrus: *Subiecti estote sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis (Epist. I. c. 2.)*. Ipsis data proportione est igitur honor sicut Principibus exhibendus: secus Deus læditur, cujus providentiæ ordo ad Reipublicæ tranquillitatem necessarius turbatur.

CAPUT V.

Regum & Principum officia.

Quæ Principibus suis debeant subditi satis sciunt, illaque a Concionatoribus sæpe audiunt; verum non omnes sciunt Principes, & nonnulli forsan ignorare malunt, quæ Principes subditis debeant. Veritates, quas oderunt, ne-

mo illis patefacere audeat. Libentius assentantes audiunt, qui jugiter eorum auribus obfrepunt, Dei illos imagines esse, & quæcumque libuerint, illis licere; aliorum judicia non esse illis formidanda, qui solum Deum judicem habent; eorum voluntatem justitiæ normam esse; in iis parendo subditorum gloriam sitam esse; subditorum vitæ, bonorumque supremos illos esse dominos; propter Regem populum, non propter populum Regem esse; aliis Principes legibus, quam subditos regi; Status rationem justitiæ præeminere; omniaque eorum gloria aut voluptati esse subjecta. Locus, quo nati sunt, prava hæc axiomata facile illis persuadet: nihil tamen Dei legi, Evangelio, sanæque Politicæ magis adversatur. De hoc igitur tam gravi argumento nonnulla dicam, cum jam de honore a subditis Principibus debito egerim. Regum officia tripliciter dividuntur, videlicet: 1. erga Deum, 2. erga subditos, 3. erga se ipsos.

Regum officia *erga subditos* huic axiomati veluti fundamento innituntur: *Propter populum Rex existit.* Hoc non minus ratio, & philosophia, quam Evangelii lex docet. Æquales initio homines nati sunt; sed eorum aucto numero turbæ inter illos ortæ sunt, dum quisque in alios dominari cupit, pravasque suas explere cupiditates: propterea Principem constitui oportuit, qui eos regeret, justitiamque servaret. Verum nonnulli invitis cæteris regnum usurpare ausi sunt, sicut fecit Nemrod Assyrii regni

regni fundator. Ex gentium igitur jure, non ex naturali Regno oritur. Deinde propter hominum salutem & necessitatem auctoritate sua Deus illud firmavit: quare a Deo est omnis potestas sive aristocratica, sive democratica, sive regia. Verum publica salus potestatis cuiusque naturalis est finis, ad quem unaquæque debet respicere. Reges ab Homero Pastores vocantur, quia populi sunt veluti oves, quæ cum seipsas regere ignorent, duce indigent, qui eas regat, alit, & tueatur. Davidi, cum Rex ab Israelitis inungeretur, Deus dixit: *Tu pasces populum meum Israel, & tu eris dux eorum* (2. Reg. 5.). Si igitur pastoris munera Rex non exequitur, officium suum minime implet: si ovibus pellem detrahit, si lupo vorandas dimittit, vel eas ipsemet vorat gravibus nimium tributis, ut avaritiæ suæ, vanitati, aut cupiditati satisfaciatur, non est verus Pastor. Dei imago est; debet ergo regnum suum ita moderari, sicut Deus orbem regit. Porro jugiter Deus sua beneficia hominibus largitur, eorum salutem curat, eos alit, & a diaboli insidiis & furore tueatur, illorum infirmitatem excusat, peccata dimittit, minimaque pietatis opera vita æterna remuneratur. En regius gubernandi modus, quantum hominibus illum licet imitari. Quod si Deum Reges non imitentur, frustra ejus vocantur imagines, nisi forte ejus furoris & iræ: sed valde est formidandum divinæ justitiæ ad puniendum populum instrumentum fieri, cum enim populum Deus punivit, virgam interdum in ignem projicit.

Cultum & reverentiam Deo debent, a quo regnum acceperunt, & qui Rex regum est, & Dominus dominantium. Meminerint illius divini effati: *Excelfo excelfior est alius (Ecclef. 5.)*. Commune eorum peccatum est superbia, qua prudentiæ suæ, potentiæ, viribus, thesauris, sceleribus ita fidunt, ut non sicut oportet se Deo subjiciant, nec ejus auxilium, ut cepta sua secundet & protegat, implorent. Ethnicos omitto Principes, qui eo dementiæ progressi sunt, ut divinum sibi cultum vindicarent. In hanc impietatem labi christiani Principes nequeunt, sed timendum est, ne vero Deo semper se satis subjiciant, nec sibi magis, quam illi fidant. Nil magis, quam hanc præsumptionem Deus odit, nihilque majori severitate punit. David populum suum ex ambitione numeravit (2. Reg. 24.); quod ita Deo displicuit, ut Prophetam suum ad illum miserit, qui tria eisdem flagella proponeret, belli, famis, ac pestis, ex quibus illud seligeret, quo peccatum suum puniretur. Pestem ipse elegit, quæ Diei unius spatio septuaginta millia hominum absumpsit. Ezechias, Princeps cæteroquin pius Regis Babylonis legatis thesauros suos ostendit (4. Reg. 20), forsitan ut ille Princeps se magis amaret, & a bello inferendo abstineret: hac tamen vanitate iram Dei meruit, qui obsidione Jerusalem, & thesaurorum amissione hoc peccatum ultus est. Id ita exprimunt sacræ Litteræ: *Et facta est contra eum ira, & contra Judam & Jerusalem, humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor ejus (2. Paralip. 32.)*.

CAPUT

mo illis patefacere audeat. Libentius assentantes audiunt, qui jugiter eorum auribus obfrepunt, Dei illos imagines esse, & quæcumque libuerint, illis licere; aliorum judicia non esse illis formidanda, qui solum Deum judicem habent; eorum voluntatem justitiæ normam esse; in iis parendo subditorum gloriam sitam esse; subditorum vitæ, bonorumque supremos illos esse dominos; propter Regem populum, non propter populum Regem esse; aliis Principes legibus, quam subditos regi; Status rationem justitiæ præeminere; omniaque eorum gloria aut voluptati esse subjecta. Locus, quo nati sunt, prava hæc axiomata facile illis persuadet: nihil tamen Dei legi, Evangelio, sanæque Politicæ magis adversatur. De hoc igitur tam gravi argumento nonnulla dicam, cum jam de honore a subditis Principibus debito egerim. Regum officia tripliciter dividuntur, videlicet: 1. erga Deum, 2. erga subditos, 3. erga se ipsos.

Regum officia *erga subditos* huic axiomati veluti fundamento innituntur: *Propter populum Rex existit.* Hoc non minus ratio, & philosophia, quam Evangelii lex docet. Æquales initio homines nati sunt; sed eorum aucto numero turbæ inter illos ortæ sunt, dum quisque in alios dominari cupit, pravæque suas explere cupiditates: propterea Principem constitui oportuit, qui eos regeret, justitiæque servaret. Verum nonnulli invitis cæteris regnum usurpare ausi sunt, sicut fecit Nemrod Assyrii regni

regni fundator. Ex gentium igitur jure, non
ex naturali Regno oritur. Deinde propter ho-
minum salutem & necessitatem auctoritate sua
Deus illud firmavit: quare a Deo est omnis
potestas sive aristocratica, sive democratica,
sive regia. Verum publica salus potestatis cu-
jusque naturalis est finis, ad quem unaquæque
debet respicere. Reges ab Homero Pastores
vocantur, quia populi sunt veluti oves, quæ
cum seipsas regere ignorent, duce indigent,
qui eas regat, alit, & tueatur. Davidi, cum
Rex ab Israelitis inungeretur, Deus dixit: *Tu
pascies populum meum Israel, & tu eris dux eo-
rum* (2. Reg. 5.). Si igitur pastoris munera
Rex non exequitur, officium suum minime im-
plet: si ovibus pellem detrahit, si lupo voran-
das dimittit, vel eas ipse vorat gravibus ni-
mum tributis, ut avaritiæ suæ, vanitati, aut
cupiditati satisfaciatur, non est verus Pastor. Dei
imago est; debet ergo regnum suum ita
moderari, sicut Deus orbem regit. Porro ju-
giter Deus sua beneficia hominibus largitur,
eorum salutem curat, eos alit, & a diaboli infi-
diis & furore tueatur, illorum infirmitatem ex-
cusat, peccata dimittit, minimaque pietatis
opera vita æterna remuneratur. En regius
gubernandi modus, quantum hominibus illum
licet imitari. Quod si Deum Reges non imiten-
tur, frustra ejus vocantur imagines, nisi forte
ejus furoris & iræ: sed valde est formidandum
divinæ justitiæ ad puniendum populum instru-
mentum fieri, cum enim populum Deus puni-
vit, virgam interdum in ignem projicit.

Cultum & reverentiam Deo debent, a quo regnum acceperunt, & qui Rex regum est, & Dominus dominantium. Meminerint illius divini effati: *Excelfo excelfior est alius (Ecclef. 5.)*. Commune eorum peccatum est superbia, qua prudentiæ suæ, potentiæ, viribus, thesauris, sceleribus ita fidunt, ut non sicut oportet se Deo subjiciant, nec ejus auxilium, ut cepta sua secundet & protegat, implorent. Ethnicos omitto Principes, qui eo dementiæ progressi sunt, ut divinum sibi cultum vindicarent. In hanc impietatem labi christiani Principes nequeunt, sed timendum est, ne vero Deo semper se satis subjiciant, nec sibi magis, quam illi fidant. Nil magis, quam hanc præsumptionem Deus odit, nihilque majori severitate punit. David populum suum ex ambitione numeravit (2. Reg. 24.); quod ita Deo displicuit, ut Prophetam suum ad illum miserit, qui tria eisdem flagella proponeret, belli, famis, ac pestis, ex quibus illud seligeret, quo peccatum suum puniretur. Pestem ipse elegit, quæ Diei unius spatio septuaginta millia hominum absumpsit. Ezechias, Princeps cæteroquin pius Regis Babylonis legatis thesauros suos ostendit (4. Reg. 20), forsitan ut ille Princeps se magis amaret, & a bello inferendo abstineret: hac tamen vanitate iram Dei meruit, qui obsidione Jerusalem, & thesaurorum amissione hoc peccatum ultus est. Id ita exprimunt sacræ Litteræ: *Et facta est contra eum ira, & contra Judam & Jerusalem, humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor ejus (2. Paralip. 32.)*.

CAPUT

CAPUT VI.

Ejusdem argumenti continuatio.

Neque satis est, si Rex Deum veluti dominum ac protectorem colat; curare insuper debet, ut a suis populis ubique adoretur Deus & colatur. Id imprimis negotii datum putet, ut veram servet Religionem, ut Ecclesiam ab hostibus tueatur, ut ejus dignitatem defendat, ejusque ministros protegat. Ideo Reges Deus instruit; Ecclesia siquidem est regnum, cui Reges terræ servire debent: *Et erunt reges (inquit Isaias cap. 49.) nutritii tui.* Porro spirituale est hoc regnum, quod spiritualibus armis se tuetur; quæ quidem sola arma ad illud tuendum contra diaboli conatus non sufficiunt, qui & hæresibus & hominum iniquitate ejus perniciem molitur. Oportet ut vis vi repellatur, & coerceantur iniqui temporalis pænæ metu, quam præ suppliciis, quæ Deus minatur, formidant. Hoc Regum est officium.

Princeps, ait sanctus Paulus, *Dei minister est, vindex in iram (Rom. 13.).* Præcipua, quam sacrae Litteræ Regibus Israel tribuunt, laus est Religionem factam rectam servasse. Hoc nomine laudatur David, Salomon, Josias, Ezechias. Post Christum natum Constantinus, Theodosius, Gratianus, Marcianus, Carolus magnus, sanctus Ludovicus illustres magis sunt pro cura, qua Ecclesiam sunt tutati, quam victoris, quibus imperii hostes prostraverunt. In Honorii & Arcadii Edicto, quo inter Catholicos

licos & Donatistas collationem fieri permiserunt, sic loquuntur Augusti: *Inter Imperii nostri maximas curas, Catholicae Legis reverentia aut prima semper, aut sola est. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis conciliis ordinamus, nisi ut verum Dei cultum orbis nostri plebs dilecta custodiat.* Ad Valentinianum sanctus Ambrosius ita scribit: *Cum omnes homines, qui in ditione Romana sunt, vobis Imperatoribus terrarum militent, tum ipsi vos omnes potenti Deo & sacrae fidei militatis.* Sanctus Augustinus inquit: *Pertinet ad Principes christianos, ut temporibus suis pacatam velint habere matrem Ecclesiam (Epist. 50.).* Egregie ait sanctus Leo Papa: *In hoc serviunt Domino Reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quae non possunt facere nisi Reges.* Quis mente sobrius Regibus dicat: *Nolite curare in regno vestro, quis velit religiosus esse vel sacrilegus? quibus dici non potest; non ad vos pertinet in regno vestro quis velit pudicus esse, quis impudicus.* Idem ad Theodosium II. Imperatorem sic scribit: *Ut vobis non solum regium, sed etiam sacerdotalem animum inesse gaudeamus.* Ad Pulcheriam vero ejusdem Imperatoris sororem scribens, post actas Deo de fidei suae vigore gratias, subdit: *Quia Principibus temporis nostri non solum potentiam regiam, sed etiam sacerdotalem cognoscimus inesse doctrinam.* En optima Principibus illis instructio, qui a Machiavello regnandi praecipua hauriunt, humanaeque Politicae artem sectantes sacram Evangelii doctrinam contemnunt.

Nec

Nec plene officio suo Reges satisfaciunt, si veram Religionem tantum tueantur; curent etiam oportet, ne in suis regnis blasphemis aut impietatibus Deus lædatur. Id plerique nostri Reges præstiterunt severis Edictis editis adversus blasphemos: idque novissime præstitit Ludovicus XIV. antiquas renovans leges, novasque blasphemis pœnas infligens.

Pium Regis exemplum majus præ legibus robur habet. Caveat igitur ne quid umquam contra Religionem loquatur; mores imo suos ad illius normam componat, ut hinc aulici & populus pietatis regulas sumant. Probis exemplis preces etiam addat, quibus Deum pro populo suo quotidie exoret: a Deo enim lumen accipiet, quo ad regnum bene moderandum indiget. Porro eo majori lumine indiget, quo difficilior est regni moderatio, & quo gravioribus quotidie tentationibus patet, & peccandi illecebris. Juxta præcipitium semper ambulat, cumque simul homo & princeps sit, in quodlibet peccati genus labi potest: peccandi occasiones præsto sunt ubique, nec quæsitæ ultro occurrunt; ideoque peculiari Dei eget auxilio quod flagitare jugiter debet. Non tamen ajo longum a Principe orationi tempus esse tribuendum; sed quotidie saltem humiliter Deum adoret, & ab eo opem enixe petat. Regnum David, difficilemque populum regebat; attamen Deum orans ita loquitur: *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psalm. 118.*). Galliæ regnum sanctus Ludovicus moderabatur, & adversus Infideles bella gere-

gerebat; inter tot tamen negotia Horas canonicas quotidie recitabat, Missæque solemnæ, & Vesperis intererat. Non satis est Principi, ut veram fidem teneat, debet insuper culpa vacare, & a scandalis præcipue abstinere; pravum enim Principis exemplum aulicos & subditos facillime inficit. Si virtutibus Princeps fulgeat, animos etiam a virtute alienos ad illam trahit; si vero vitiis sit obnoxius, veluti lex publica est ejus exemplum, quod quasi lues totum regnum corrumpit, ipse vero criminum est reus, quorum est causa, & formidandum a Deo iudicium, a quo cum suis subditis iudicabitur, sibi parat.

Hæc sunt Regum erga populos officia, pacem servare, justitiam colere, quæ sua cuique tribuat. Ad Reges terræ sic loquitur Sapientia: *Audite ergo Reges, & intelligite: discite Iudices finium terræ: præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbarum nationum, quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ; neque secundum voluntatem Dei ambulastis (cap. 6.).* Totum hoc caput eximiam Principum institutionem continet, & utinam in eorum cordibus maneret alte repositum.

Non omnes per semetipfos iudicare possunt; ideo fidelibus Iudicibus indigent, qui subditorum dissidia componant. Verum attente hos iudices eligant; adversum quos si lamenta audiant,
eorum

eorum concussionem & iniustitias severe puniant, ne ipsi a Deo damnentur. Postquam Josaphat iudices in civitatibus Judæ posuit, sic illos est allocutus: *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini. Et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, Et cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum (2. Paral. 19.).* Regnante secunda Regum Gallorum stirpe, Visitatores in annos singulos regnum peragrabant, qui aut Episcopi, aut Palatii Comites erant, ut contra Iudices populorum querelas audirent; ex quorum relatione iniqui Iudices puniebantur.

Nec soli Iudices populos opprimunt; sed & pagorum & oppidorum Domini; quorum licentiam auctoritate sua debent Reges coercere; quod præstare inferiores Iudices nequeunt.

Quoad tributa, a bonis Regibus moderate hæc exiguntur. Vastum hoc est, & periculosum argumentum: hoc tantum dicam, Reges esse Pastores, & posse quidem oves tondere, sed non esse ipsas decorticandas; quod si absque necessitate nova & intolerabilia exigant, juxta Evangelii dogmata, salvi esse nequeunt, nisi restituant.



CAPUT

CAPUT VII.

Magistratum, & Dominorum officia.

Justitiæ munus Reges Magistratibus committunt, qui exacte debent illud exercere.

Quinque ea sunt, quæ a justitia possunt eos remove: 1. ignorantia, 2. præcipitatio, 3. præoccupatio, 4. negligentia, 5. avaritia.

Ne ex ignorantia injustitiam committant, leges & consuetudines Provinciæ, quam regunt, scire debent, si non egregie, attamen exacte, ne muneri suo desint. Cum Deus Moyfi ad regendum populum seniores addidit, sui spiritus partem ab eo abstulit, idest scientiam judicandi, illamque Assessoribus ejus tribuit; secus enim injunctum officium exequi non potuissent. Non est modo expectandum ut scientia ista infundatur, sed studio est comparanda. Neque vero judicandi munus suscipere quis debet (sicuti plerique solent juvenes) litterarum omnino expertus, id videlicet tantum curans, ut aliquo munere cæteris in Provincia præcellat, & familiæ suæ dignitatem augeat. Parentes, qui filios suos ad magistratus ita evehendo curant mortaliter peccant; hique ignorantes Judices damna omnia refarcire debent, quæ ignorantia suæ Provinciæ attulerunt.

Negotiis omnibus nocet præcipitatio, præcipue vero judiciis. Oritur hæc plerumque ex mentis vigore, quæ naturaliter prompta, subtilis, & operans, ad negotia examinanda non

im-

immoratur; sed ingenii sui sequens promptitudinem, veritatem statim se reperisse putat. Non ita velox est iudicium, lente progreditur, novaeque cogitationes, ut est in adagio, sunt prudentiores. Tempus igitur ad rem examinandam Iudex sumat, cavens, ne aliquid ad partium munda jura praetermittat.

Præoccupatio praecipitatione longe est periculosior; hocque plurimum bonorum Iudicum vitium est, qui sententiae alicui adhaerentes mutare illam numquam volunt, bonam & justam putantes. Plerumque id ex praesumptione, animique elatione oritur, qua omnia etiam difficiliora negotia expedire nos facile posse arbitramur. Amor & odium sunt quoque praecipitationis causae, hi enim affectus facile secum mentem trahunt, & quemadmodum si quis optat, ne amicus suus causa cadat, facile sibi persuadet ipsum iusta petere, sic inimicum odio habens facile putat hunc iniqua postulare. Sunt quidam, qui sine odio vel amore parti alicui naturaliter statim adhaerent, & ab ea aegre admodum divelluntur. Ut vitet hoc vitium, oportet ne Iudex prudentiae suae fidat, & ut affectus suos comprimat, odium praecipue, & amorem; amicorum commendatio sit sibi suspecta, & hinc negotium diligentius examinandi ansam capiat.

Magnum quoque vitium est *negligentia*; ideoque debet Magistratus officii sui munera propriae quieti anteponere, & suum officium propriis commodis: vigilet oportet, & laboret, ut commissa sibi negotia cognoscat, quod si litigantes

tes

tes longe a domo sua graves sumptus ejus culpa sustineant, coram Deo reus ipse est, & ad restitutionem tenerur.

Maximum vero Judicis vitium est *avaritia*, sive *cupiditas*, qua vel honorem, vel pecuniam, vel voluptatem quærit; rarique sunt, qui a triplici hoc amore sint soluti. Pecuniæ cupiditas vilior, & turpior est; verum nec reliquæ excusari possunt, licet parum ab honestate distare videantur. Casuistarum aliquot opinio asserens, non teneri Judicem restituere pecuniam, quam pro injusta sententia ab uno litigantium accepit, rectam justitiæ administrationem tollit, Judicum avaritiæ favet, legesque omnes divinas & humanas pessumdat. Sic Deum interrogat Psalmista: *Quis requiescet in monte sancto tuo?* idest in Cælo; & Dei nomine sic respondet: *Qui munera super innocentem non accepit (Psalm. 14.)*. Quo jure potest Judex injustitiæ suæ fructu gaudere? Si laboravit, & sudavit, ut iniquam sententiam proferret, iniquitatis hic labor est, qui mercedem non meretur. Non est ipse justitiæ dominus; hæc illi a Principe tradita est custodienda, atque hanc reddere cuique debet juxta leges, quæ juste judicare jubent, & vel pro justa sententia munera verant accipere, & accepta restitui præcipiunt. Sanctus Augustinus quæstionem dirimet inquit: *Cum autem judicia & testimonia, quæ nec justa nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multo sceleratius utique pecunia sumitur; quia scelerate etiam, quamvis a volentibus datur.*

Ille

Magistratum, & Dominorum officia. 33

Ille tamen solet tamquam male sublatam pecuniam repetere, qui iustum iudicium emit, quoniam veniale esse non debuit: qui vero pro iniquo iudicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret vel puderet emisse (Epist. 54.).

Pagorum Domini debent, qualia Principes, subditis suis officia reddere. Id secum reputent oportet, se illis locis Dominos esse positos, ut communitatis saluti consulant; se subditorum esse patres, quorum bona tueri debent, non rapere; quemadmodum sæpe usuvenit, aut vi, aut fraude, injustas illis movendo lites, aut pro levibus delictis ingentes exigendo multas. Quemadmodum enim gravia delicta punire debent, nec, accepta pecunia, impunita relinquere; ita leviora quædam delicta sunt, ex quibus lucrum sumere Domini non debent. Oportet insuper, ut familiarium suorum violentias, & extorsiones impediant, ne in eorum peccatis participent. Demum a scandalis abstineant, ne mali illorum exemplo se excusent; facilemque subditis aurem præbeant, ut mala, & lites arceant, quæ pestilentia & bello sæpius magis nocent. Sicuti ad lites dirimendas Iudicibus egent, ita illos diligenter eligant, qui iustitiam colant, nec unquam ignorantia, vel malitia, aut avaritia illam prodant.



CAPUT VIII.

*Canonice contra quarti præcepti violatores
pœnæ.*

Qui parentibus suis maledixerit, quadraginta diebus jejunabit pane & aqua (*Burcard. l. 15.*).

Qui injuria aliqua illos læserit, tribus annis jejunabit (*Pœnit. Rom. tit. 4. c. 4.*).

Qui illos domo expulerit, tamdiu pœnitebit, donec ab impietate sua recesserit.

Qui Episcopo suo, aut Parocho, aliive Presbytero rebellis fuerit, omnibus vitæ suæ diebus in Monasterio pœnitentiam aget (*Pœnit. Rom. tit. 6. c. 17. & 24.*).

Qui Episcopi præcepta & doctrinam contemnit, illumque scripto aut verbis lædit, quadraginta diebus pane & aqua jejunabit. Pœnæ eidem subiacebit, qui aliorum Ecclesiasticorum consilia aut præcepta contemnenda putarit (*Burcard. l. 25. c. 94.*).



SECTIO II.

DE

QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAPUT I.

Laxæ quorundam Casuistarum de homicidio opiniones referuntur.

Homicidium naturæ lex prohibet; nec tam barbaræ umquam extitere nationes, quæ illud non punirent. Postquam ex arca egressus est Noe, memorabilibus hisce verbis homicidium Deus vetuit: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem Dei quippe factus est homo (Genes. 9.)*. Si naturæ societas ab alterius sanguine fundendo hominem non retrahit, neque impedit; considerare oportet hominem Dei esse imaginem, nec qualemcumque, sed viventem, spiritualem, intelligentem: quare qui illam destruit, illius exemplar lædit, quod, si fieri posset, veller destruere. Inter Christianos homicidium gravio-rem habet enormitatem, fidelis siquidem Jesu Christi membrum est. Quamobrem Christianum occidere est Filii Dei destruere membrum, quod suo ipse Sanguine redemit: est quoque Dei & Spiritus sancti templum destruere, nam juxta sanctum Paulum utriusque templum est homo, & propterea ejus sanguinem fundere est personam sacram violare.

C 2

Nullum

Nullum est Præceptum, in cuius explicatio-
ne periculosas & abominandas plures opiniones
effuderint Casuistæ, quam quantum istud præ-
ceptum.

Docent nonnulli Casuistæ, Religiosum, qui
vilem scæminam violaverit, ne crimen patefa-
ciendo suæ famæ illa noceat, licite posse eam
occidere (*Caramuel Theol. fund. §. 60.*): licite
quoque Religiosum quemlibet illum posse oc-
cidere, qui famam suam verbis profcinderet,
aut Ordinem suum vituperaret, vel se vituperaturum
minaretur; si alio non posset modo calum-
niam propulsare. Ad hanc tuendam opinio-
nem subdit Caramuel: *Doctrinam Amici solam
esse veram, & oppositam improbabilem censent
docti omnes.*

Docet alius, adulterum in adulterio depre-
hensum licite posse a marito occidi. Idem de
fure docet; additque posse hunc domum ingres-
sum, ut furetur, occidere dominum, aut eos,
qui se propter furtum vellent occidere. Alius
asserit, posse aliquem deliberatam habere vo-
luntatem injustum aggressorem occidendi, huius-
que voluntati locum in corde suo dare.

Docent præterea, injuste accusatum occide-
re posse accusatorem suum, testes, Judicemque
suspectum, si secus defendere se non possit.
Juxta hos potest, qui alapam accepit, aut ba-
culi ictum, vel proxime accepturus est, percu-
tientem, & percussuram occidere. Idem Ca-
ramuel hoc docet, pluresque pro hac sententia
Doctores afferit, sicque concludit: *Ergo qui*
fact-

Laxe quorundam Casuistarum &c. 37

fecerit, quod hæc opinio licitum esse docet, non operabitur suadente diabolo, nec poterit probabiliter dici culpam mortalem commisisse (ibid.).

Docent insuper, occidi posse furem, qui magni valoris rem auferat; huncque valorem ad sex vel septem argenteos extendunt, vel ad unum aureum, aut etiam minus.

Quisquam ex his Casuistis docere audet, hominem nobilem, si quis ab ejus manibus pomum auferre velit, posse hunc occidere, quando pomum alteri cedens pusillanimitatis accusaretur; nam, inquit, hoc casu non sua bona, sed suum honorem defendit. Adeo hanc licentiam occidendi alium, a quo nostræ vitæ jacturam timeamus, extendit, ut afferat æque id Monachis, Clericis, atque Laicis licere; ita ut possint contra quemcumque, etiam Superiorem hac licentia uti, veluti Religiosus contra Abbatem, filius adversus parentes, servus in dominum, subditus contra Regem aut Principem. Idem Casuista docet, Sacerdotem ad altare celebrantem posse Missam interrumpere, & aggressorem occidere, & post ejusdem occisionem Missam absolviere. Horribiliusne aliquid potest excogitari? Nonne illud de hisce opinionibus repetere licet, quod de sui temporis hæresibus dicebat sanctus Polycarpus: Domine, quibus me temporibus reservasti, ut tam impias audirem blasphemias? Hæc recitasse refutasse est, adeo sunt enormia. Etenim non modo, ut mox ostendimus, Evangelium destruunt; sed humanam societatem evertunt, & Regibus ac Magistrati-

bus securitatem auferunt, magnasque urbes in latronum saltus convertunt. Plerique Gallia Episcopi has propositiones damnarunt; idem præstitere Theologicae Parisiensis, ac Lovaniensis Facultates; Parlamenta, Regisque Consilia suis decretis illas proscripserunt. Verum Alexander Papa VII. inter alias horum Casuistarum propositiones, hasce damnavit: *Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, qui suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Num. 17. Et: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Num. 18. (a). Quicumque quidpiam probitatis habent, & quibus aliquantulum christiana lux affulsit, diabolicam hanc doctrinam detestantur; verum pestilentes libri manent, venduntur, leguntur, pluresque incautos possunt inficere. Quapropter operæ pretium si-

aurum

(a) Præter has idem Alexander adhuc duas, & Innocentius XI. denuo sex damnavit propositiones, quæ eam ipsam, quam Auctor hic detestatur, occidendi licentiam extendunt. Illas postea propriis in locis subjiciam. Interim satis mirari P. Concina, alique non possunt, nonnullos recentes Casuistas, qui passim divinam legem suavem, & benignam esse clamant, tales evulgare potuisse opiniones, quæ sævitiam præferant, & feritatem.

Eturum me arbitror, si Parochis meæ Diœceseos quæ sit sequenda doctrina ostendam; captiosasque rationes, quibus novi Casuistæ sua paradoxa tueri conantur, valide refellam.

C A P U T II.

Prævis novorum Casuistarum ratiunculis respondetur.

Qui enormes recensitas opiniones circa homicidium docent, eas tuentur Casuistæ rationibus, quas validas ipsi vocant; sed quæ, si parumper discutiantur, non modo non christiano, verum nec homine dignæ reperiuntur.

Primum opinio, quæ docet, occidi posse calumniatorem, qui alterum de crimine accusat, propter quod hujus vita, aut honor periclitatur, si aliter calumnia repelli nequeat; hæc, inquam, opinio a novo quodam Casuista vera *speculative* vocatur, sed non *practice* consulenda propter incommoda, quæ sequi inde possunt; & semper a vindictæ cupiditate esse cavendum.

Hæc distinctio illusoria prorsus est & falsa, alterius etiam Casuistæ judicio, qui recte ait, se non intelligere quo pacto opinio aliqua speculative sit probabilis, & non practice, ita, ut ad praxim deduci nequeat; siquidem practicæ probabilitatis certitudo a speculativæ probabilitatis certitudine oritur, quæ inter se differunt velut effectus a causa; & ideo solum homo juste vel injuste agit, quia sic, non vero secus agere se posse judicat. Et revera judicium intellectus

voluntatem dirigit, & veritas intellectui faciem præfert. Si ergo alicui veram esse opinionem aliquam intellectus ostendat, quare voluntas hanc sequi non poterit; quodve in ea amplectenda peccatum patrabit? Coram Deo non peccat, qui veritatem sequitur; nam veritas Christianorum est norma. Porro quomodo veritatem ea contineat opinio, quæ homicidium permittit? Quomodo Jesu Christi doctrinæ hæc erit, qui discipulis suis ita præcepit: *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos (Matth. 5.)*? Quantum ab homicidii permissione hoc distat præceptum? Illud quoque celandum esset Christi præceptum, quo jubet, ut nos in dextera maxilla percutienti & sinistram præbeamus: quod explicans sanctus Gregorius Nazianzenus ait: Verum Christianum paratum esse & tertiam maxillam præbere, si adesset. Conciliarine hoc potest cum illius nece, qui nos calumniatur, aut nobis alapam impegit? Frustra Dei Filius patientiæ nobis præbuit exemplum: *Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem se judicanti injuste (1. Petr. 2.)*.

Male Apostoli tot calumnias, injuriasque toleravere; & Christianos deceperunt, dum sic illos hortati sunt: *Nulli malum pro malo reddentes. Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum (Rom. 12.)*. Debebant in suis epistolis hanc permissionem saltem innuere, nempe calumniatoris nece suum honorem de-

facem
ationem
oluntas
ample-
eo non
veritas
do ve-
cidium
doctri-
Oro-
us ver-
permi-
que de-
bet, ut
nistrum
egrius
aratum
adesset.
qui nos
Fru-
exem-
licebat.
at au-
que to-
um sic
o red-
d date
in bo-
n suis
uere,
m de-
fen-

sendendi. Magna ignorantia priscorum tempo-
rum Christiani laborarunt, qui hac non sunt usi
exceptione. Doctrina sane & prudentia sancti
illi Episcopi, qui tunc Ecclesiam moderabantur
caruere; siquidem tam pulchram veritatem,
iratisque hominibus tam commodam non exco-
gitarunt. Concilia omnia, quæ pœnas canoni-
cas contra homicidas statuere, in casibus per-
missis ab hisce novis Casuistis, magnis tenebris
obruta fuere, dum tam severe actiones multa-
runt speculative permissas.

Hæc distinctio, ut diximus, inutilis est ad
arcenda a Republica homicidia. Nam si sibi
persuadeat homo speculative verum esse, licere
sibi calumniatorem, aut honorem suum læden-
tem interficere, numquid abstinebit a vindicta
propter illa incommoda, quæ Reipublicæ pos-
sunt ex vindicta evenire? Obsequium legi Dei
debitum, qui homicidium prohibet, & pœna
punit æterna, potest timorem incutere, & a se
ulciscendo removere. Anne temporalia mala
consideranda sunt, dum æternum imminet?
Numquid civilibus legibus Christiani a crimine
coercendi sunt, dum idipsum Dei lex prohibet?
Non timere Dei præceptum violare, sed huma-
nam timere justitiam, si violetur, nonne hoc est
Deo homines anteferre, & Regni edicta magis
æstimare, quam Evangelium?

Altera prava ratio, quam homicidii patroni
allegant, in hoc est sita, quod propriæ defensio-
nis jus ea omnia complectitur, quæ ad homi-
nem illæsum servandum spectant. Hæc genera-

lis regula cuncta fieri permittit, calumniari, & venenum iis præbere, a quibus aliquid nobis malum imminere suspicamur: hæc christianam patientiam destruit, legesque omnes everit. Litem quis habet, quam licet bonam tueri nequit, nisi falsis documentis utatur; illi igitur hæc fingere licebit.

In sui defensione certi sunt limites, quos Evangelium legesque præscribunt: quid defendendum sit oportet attendere; si enim de temporali tantum bono agitur, vitæ latronis id æquiparari non potest. Deus in Exodo prohibet furem occidere, qui orto sole furetur (*cap. 22.*). Duodecim Tabularum lex apud Romanos sic ait: *Diurnum furem occidi non licet, nisi se telo defendat; & occisorem morte puniebat.* Quomodo igitur Casuistæ ajunt, licere furem occidere, qui pretiosum quidpiam furetur, si res ablata secus nequeat recuperari? Ad Corinthios inter se litigantes ita scribit sanctus Paulus: *Quare non magis fraudem patimini (1. Cor. 6.)?* Tantum aberat, ut furem occidi permetteret. Ratio, quam afferunt, nempe neminem teneri sua bona perdere, christiano Doctore est profus indigna. Nonne jubet caritas, ut proximi vita pecuniæ aut suppellectili, quæ a fure rapitur, antefertur? Si furem, dum tua rapit, occidas, nonne illum certo æternæ damnationis periculo exponis? Nec horrebit Casuista docere, spiritualem furis vitam vitæ nostræ corporali non esse ex caritate præferendam; imo neque honori, aut pecuniæ, quam alter injuste nobis auferre

nit-

nitur? Cum Judices furem juridice damna-
vere, tempus illi concedunt, ut Pœnitentiæ
sacramentum suscipiat: sanctus vero Augustinus
respondet Macedonio, qui mirabatur tam sæpe
Episcopos reis indulgentiam exorare, id ab illis
fieri, ut æternum supplicium rei devitent; dum
enim temporalis illis pœna dimittitur, possunt
reliquum vitæ spatium inter pœnitentiæ opera
transigere. Quis absque horrore apud hunc
Auctorem legat, latronem occidi posse, qui rem
quinque vel sex aureos æstimatam auferat; imo
apud alterum, qui unum aureum assignat? Er-
gone hominis vita, pro quo Christus vitam
suam tradidit, uno aureo æstimabitur? Ullane
tam barbara natio vivit, quæ hominis vitam tan-
ti æstimet? Quis umquam Ethnicus sic est lo-
cutus? Quæ civiles Leges hoc pretio hominis
vitam taxant? Mortis supplicium homicidis ju-
ste infligitur, quia nec argento hominis vita
æstimari potest, nec argento redimi semel ad-
empta; quare homicidium homicidæ morte est
luendum (a).

Verum

(a) Huc istæ spectant ab Innocentio XI. damnatæ
propositiones: *Regulariter occidere possum fu-
rem pro conservatione unius aurei, Est num. 31.
Non solum licitum est defendere defensione occisiva,
quæ actû possidemus: sed etiam ad quæ jus inchoa-
tum habemus, & quæ nos possessuros speramus,
Num. 32. Licitum est tam hæredi quam legatario
contra injuste impediendum ne vel hæreditas adea-
tur, vel legata solvantur, se taliter defendere,
sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam
contra eorum possessionem injuste impediendum.
Num. 33.*

Verum quemadmodum opes homicidio tueri non licet, ita nec honorem; & male arguit, qui sic ratiocinatur: Honor plus quam vita estimandus est; aggressoris morte vitam tueri licet; ergo qui alteri honorem auferre nititur, potest occidi.

Statuere prius oportet, quid sit honor. Profecto hominis christiani honor verum ac stabile bonum esse debet, non falsa hominum opinio, quæ corruptæ rationi, & prævæ consuetudini innitatur. Honor est virtutis præmium, quod semper constans & æquale suapte natura est. Porro honor, quem mali isti Casuista calumniatoris nece defendere licitum esse affirmant, in prava solum hominum opinione consistit, qui nullam injuriam perferre decreverunt, sed illas ulcisci aut duello, quemadmodum nobiles Galli solebant, aut proditione, sicut Itali solent. At ipsimet Ethnici, saltem doctiores, in dimittendis injuriis hominis honorem situm esse arbitrati sunt, hominisque esse magnanimi illarum oblivisci. Evangelium, quod unum Christiani hominis honorem definire potest, maledicentibus benedicendum esse pronunciat. Sancti Ecclesiæ Doctores eandem tradunt doctrinam, & in falsum mundi honorem declamant, qui illusio est & inventio diaboli, qui fuit homicida ab initio. Non populi aut stultorum judicium attendendum est, sed prudentum. In quam orbis aula nobilitate excidisse prudentes hominem putent, qui pomum rapienti cedat, nec illum occidat? Quænam sunt Imperia, Principatus,

patus, aut Republicæ, in quibus, qui alterum ex hac causa occiderit, velut homicida non puniatur? Hic igitur propter crimen, non propter illustrem actionem puniretur. Nullum pravum opus nobilis patrare debet, ex quo infamia oriatur, in bello exempli causa fugere non debet, nec militare ullum opus recusare, quamvis periculosum: hoc pacto sancti Patres & Leges honorem suum tueri permittunt. Quod si a gladiatoribus vitupereretur, quia duellum vir nobilis detrectat, hos clamare sinat, & sapientibus placere illi sufficiat, & Regi, qui duellum prohibuit. Quod de milite diximus, idem dicito de Magistratu, aut privato homine, qui nullum malum opus patrare debet, nec proximo suo scandalum præbere; quod si propterea irridetur, aut contemnitur, patienter ferat, & conscientia suæ testimonio contentus sit. Id in epistola sua quadragesimaquinta docet sanctus Gregorius Magnus, cujus hic verba afferre libet: *Quid si homines laudant, & conscientia accuset. Aut quæ debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia nos liberos demonstrat?* Habemus Paulum dicentem: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostræ;* Job quoque dicit: *Ecce in cælo testis meus. Si ergo nobis testis est in cælo, testis in corde, dimitte stultos foris loqui quod volunt. Quid aliud detrahentes faciunt, nisi in pulverem sufflant, atque in oculos suos terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant?* Vocandi sunt tamen isti, tranquille admonendi, eisque satisfieri modis omnibus decet,

debet, scientes quod de eis veritas dicit: *Ne scandalizemus eos* (Hom. 9. super Ezech.). Sed juxta Casuistarum horum nos arguentium doctrinam calumniatores oportet occidere, non autem illos vocare, & tranquille admonere (a).

CAPUT

(a) Injuriam, aut calumnie maculas calumniatoris sanguine abluere Christianam mansuetudinem deceat, sive dein levis, sive gravis ejusmodi injuria fuerit. Huic enim malo non nisi revocatione vel spontanea, vel judiciali coacta ferri medela potest. Quod si nec hæc, nec illa possit obtineri, in patientia sustineri debet, ad imitationem illius, qui in crucem actus, contumeliis laceratus Patrem pro inimico exoravit populo. Sane si mandati homines dicteria, calumnias &c. ceu cruces non tam in terra a malitiosis hominibus fabricatas, sed e cælo in suorum peccatorum penam, aut meritorum augmentum sibi immittas apprehenderent, si Deum summe Justum, Providum, & Misericordem sæpius cogitarent, ad ipsum magna fiducia cum Regio Psalte in tribulatione clamarent, jam nulla amplius ad proditioes, & homicidia confugiendi appareret necessitas. At, inquis, irreparabilis est hæc famæ, honoris &c. jactura, nisi calumniator e medio tollatur: remedium igitur istud licitum erit. Inepta prorsus hæc illatio est. Edic fodes: An non irreparabilis est vitæ jactura, quam puella, si stupratori non consentiat, subeundam prævidet? Ideone licite stuprum eligit, ut vitam redimat? Idem omnino argumentum de hæresi, blasphemia & apostasia posset formari. Sed quid multis damnatas dudum opiniones persequor. Duas, quas Alexander VII. præscripsit, ipsemet Auctor supra (pag. 38.) in textu recenset. Hisce duæ aliæ accedunt, quarum unam

CAPUT III.

Aliis satisfit laxistarum argumentis.

Pravorum horum Doctorum astutia alias adhuc cavillationes opponit, videlicet naturali ratione esse judicandum, quandonam proximi occisio sit licita; quamvis præceptum: *Non occides* juris naturalis sit. Licitum interdum esse proximum interficere, sponte fatemur. Diximus jam divinam humanamque legem mortis supplicium in malefactores statuere, & Apostolus ait: *Princeps non sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Sed quoniam Princeps non sine causa gladium portat, rationabiliter eo utatur; nullum enim subditorum suorum vel minimum interficere ei licet, nisi hic a legibus damnetur, & vere mortis reus sit. In hoc Princeps Dei imago est, qui neminem nisi juste condemnat, & juxta æquitatis tantum regulas potentia sua utitur. Hinc damnavit Deus Davidem, qui Uriam morti dederat, hostium furori illum exponens, ut ejus possideret uxorem, quam corruperat: atque hæc crimina Davidi objiciens sic ait:
Uriam

unam idem Alexander, alteram Innocentius prohibuit, sicque habent: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Num. 19. Item: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit.* Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactum alapam, vel istum fustis fugiat Num. 30.

Uriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti: quamobrem non recedet gladius de domo tua (2. Reg. 12.). Populo suo præcipit, ut nationes terræ promissæ proximas destruat, non solum quia hominum vitæ & necis ipse est arbiter, sed quia nationes illæ hanc pœnam meruerant. Saulem reprobatur, quia Amalecitarum regem vivum servarat; sed Amalecitarum Israelitarum hostes erant, & idololatriæ aliisque criminibus obnoxii. Abrahamo Patriarchæ iussit, ut suum sibi filium immolaret, verum tentavit eum, ut ejus pateret obedientia & fides, facinore, quod crudele videbatur: sed ut ait sanctus Zeno Veronæ Episcopus: *Ecco inhumanitas transit in fidem, & scelus in sacramentum.*

Pulchre hoc argumentum explicat sanctus Augustinus inquit: *Quasdam exceptiones eadem ipsa divina fecit auctoritas, ut liceat hominem occidi: non autem occidit, qui ministerium debet jubenti, sicut adminiculum gladius utenti, & ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, qui Deo auctore bella gesserunt. Sed hi exceptis, quæ vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine inæditur.* Sanctus iste Doctor, qui dogmatice loquebatur, & fideles circa homicidia volebat instruere, recentium Casuistarum subtilitatem non cognovit, nec ingenii fati habuit, ut ab illis excogitatas huic præcepto exceptiones adderet.

Licet

Aliis satisfit laxistarum argumentis. 49

Licet igitur aliquando hominem occidere, sed divina lex aut humana hanc facultatem debet tribuere, quam nemo sibi arbitrato suo sumere potest. Si hominis ratio obscurata peccato non fuisset, nec inordinata concupiscentia; si naturæ leges non essent in ejus corde deletæ aut tenebris obsitæ, rationem sequi possemus. Verum hodie humana ratio dux cæca est & corrupta. Idololatria, quæ totum pervasit orbem, funesto exemplo id demonstrat. In homine quolibet ab ejus ortu natura clamat, Deum existere, rebusque omnibus antecellere. *Quod notum est Dei* (inquit Apostolus *Rom. I.*) *manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Quæ intellectum excæcavit corruptio eadem multo magis hominum corrumpit, voluntatem, quemadmodum illis exprobrat Apostolus. Quomodo ergo sine erroris periculo humanam sequemur rationem? Canadenses, qui Irochensium in bello captorum carnibus vescuntur, rationem sequi se putant, atque hic mos apud ipsos vim legis habet. Quis tamen eos non peccare affirmabit, huncque morem omnino barbarum esse negabit? Apud Indos quidam locus est, ubi puellæ non nubunt, nisi prius pluribus hominibus corporis sui copiam fecerint, & morem hunc rationi consentaneum putant; quis tamen dicet eas non peccare?

Ut huic rationis infirmitati succurreret, per Moysen Deus legem Judæis tradidit. Homicidium hæc lex generaliter prohibet, casusque enumerat, in quibus hominem occidi licet; tum subjicit: *Non facietis, quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur...* Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas (Deut. 12.). Non ergo ratio Judæorum erat regula, quam sequerentur, sed Dei lex.

Post Moysen novus Legislator Christus venit, qui perfectiori modo, quam solerent Judæi, Decalogum servandum hominibus tradidit. En ejus verba apud sanctum Matthæum: *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos (Matth. 5.).* Quantum hæc verba a doctrina distant Casuistarum, qui calumniatorem permittunt occidi, aut aliquid preiosum auferentem, imo, quis credat? tentantem pomum rapere, si aliter repelli nequeat.

Plura jam Apostoli recitavimus loca, quibus vindictam damnat. Eamdem doctrinam sancti Patres omnes uno ore tradunt. Quo igitur pacto rationi propter peccatum infirmæ inniti licebit, & Christi auctoritati adversari, & Ecclesie Doctorum: qui in Conciliis actiones illas damnant, quas Casuistæ tam facile permittunt? In Ancyrano Concilio ita Episcopi sanxerunt: *De homicidiis non sponte commissis prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem*

Aliis satisfit laxistarum argumentis. 51

consequi præcipit : secundo vero quinquennium expleri (*Can. 22.*). Si casu commissa homicidia, non sponte, septenni, aut saltem quinquenni subiciebantur pœnitentiæ : quomodo voluntaria homicidia fuissent permissa ?

Agathense Concilium sic decernit : *Si quis servum suum proprium sine sententia Judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii ratum sanguinis emendabit (Can. 17. 18.)*. Nonne servos suos domini possunt occidere legitima ex causa, quam juxta Casuistas potest quisque ratione duce definire ? Illos nihilominus pœnitentiæ Concilium subdit.

Aquisgranense Concilium, in quo Imperator Episcopos alloquitur, ultionis causam expresse excludit inquit : *Item ut homicidia infra patriam, sicut in lege Domini interdictum est, nec causa ultionis, nec avaritiæ, nec latrocinii inde non fiant; & ubicumque inventa fuerint, a Judicibus nostris secundum legem ex nostro mandato vindicetur, & non occidatur homo nisi lege jubente (Can. 27.)*. Hæc ultima verba nonne illum expresse damnant, qui privata sua auctoritate calumniatorem suum, testes, vel judicem occidit ?

Quare si horum Conciliorum tempore docuisset Ecclesia, posse privatum hominem occidere furem, qui pro unius aurei valore quidpiam sibi aufert, vel illum qui se calumniatur, vel sibi mortem minatur, hujusce doctrinæ Episcopi non meminissent ? Quare homicidia, quæ juxta novos quosdam Doctores culpa vacant, pœnitentia multassent ?

Ingens fieret volumen, si sanctorum Patrum textus omnes vellem colligere, quibus homicidium detestantur, illudque vehementer damnant in iis etiam casibus, in quibus hodie illud nonnulli defendere conantur. Has Conciliorum sanctorumque Doctorum regulas sequi debemus, cum de homicidio iudicamus; non rationi nostræ inniti, quæ ob peccatum obscæcata est, vel barbaris vanisque decepta sophismatibus Casuistarum, qui nec Evangelium, nec Traditionem reverentur.

Verum nonne hominibus illudunt, eorumque patientia aburuntur, qui dicere audent, homicidium permittentes opiniones probis innocentibusque favere, iniquis solum nocere, & furibus; cuicumque enim arma tradunt ad hos perdendos? Quid ergo? Divina lex, quæ calumniam, furtum, & injurias prohibet, severisque pœnis hæc opera punit, an non satis validum est propugnaculum ad iniquorum vim coercendam? Humanæ leges, quæ inique agentes morte puniunt, ad metum illis incutiendum, illosque coercendos forte non sufficiunt? A mundi igitur constitutione Regna omnia ac Reipublicæ non satis ratione & consilio valere; hoc siquidem crudele remedium ad improbos coercendos neglexere. Deus, qui tam perfectam Politicam populo suo dedit, & qui vel minima peccata punit; cur illum barbaras has exceptiones non docuit, quibus ab improborum calumniis & injuriis boni vindicantur? Christus ipse suorum discipulorum curam abjecisse videtur, illosque

losque impiorum injuriis objecisse, dum illis patientiam præcepit, ac seipfos defendere vult, ut ait Apostolus: *Non vosmetipsos defendentes (a)*.

Ut,

(a) Pudicitæ aggressorem, si alio modo repelli non possit, licite occidi, multi Probabilistæ affirmant; eoquod magnum consensus ac gravis peccati periculum puellæ immineat, virgineaque integritas fortunæ bonis superior, vitæ autem bono a pudicis fœminis plerumque æqualis æstimetur. Ast purioris Moralis Amatores hic quoque negativam tenent. Hunc siquidem casum a generali Præcepto *non occides* nec S. Scriptura, nec Patres, nec Pontifices nec Concilia excipiunt, neque urgens eum excipiendi ratio occurrit. Virginea enim pudicitia non in corpore, sed in anima residet; nulla proinde externa vi, sed solo liberæ voluntatis consensu perditur. *Corpus mulieris* (inquit S. Hieronymus cap. de pudicitia. 32. Q. 5.) *non vis maculat, sed voluntas*. Aggressor autem hisce in circumstantiis occisus vita æterna certo & irreparabiliter privatur; propter damnum autem proprium incertum, aut reparabile alteri certum, ac irreparabile inferre ordinata caritas prohibet. Si puella angustiata manibus, pedibus, totisque viribus renitatur, nec umquam invasori acquiescat, omne, quod debuit, fecit. Cæterum casum hunc (ait P. Concina lib. VII, in Decal. cap. 9. num. 3.) *illis accenseo, qui vix, aut ne vix quidem eveniunt. Ex historia ecclesiastica legisse me non recordor ex tot virginibus sincero virginitatis amore flagrantibus, ad lupanaria damnatis, Deum permisisse, ut vel una florem amitteret virginitatis. Legi plures divino afflatus Numine se ipsas occidisse, ut tantum thesaurum intaminatum custodirent. Nullibi legi vel unam eo*

Ut, quicumque hasce detestabiles de homicidio opiniones sequuntur, culpa vacent, satis est juxta novos hos Casuistas, intentionem illos suam recte dirigere; Exempli gratia, qui aliquem occidit, a quo alapam accepit, non ut se ulciscatur, illum occidat, nam sic agens peccaret; sed illum occidat dumtaxat, ut honorem suum tueatur, quod sibi licet. Mala doctrina argumento peiori defenditur; hoc siquidem peccato lata porta peccatis omnibus panditur. Bona intentio licitam non reddit actionem, quæ Deo lege sit verita, hæc enim suapte natura mala est, & mala semper manet; fecus actionum bonitas aut malitia non a præcipiente seu prohibente Deo penderet, neque a propria illarum natura; sed ab agente, qui bonam facile intentionem sibi fingere posset, dum malum operatur, sibi que persuadere non ex alio pravo fine revera se agere. Intentio actus est voluntatis, quæ iudicium intellectus sequi debet; intellectui autem ratio & veritas est sequenda; quam si non sequatur, errat, & peccat; hæc originalis peccati pœna est. *Approbare falsa pro veris* (inquit sanctus Augustinus) *non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Pejus sane malum

spiritu actam, ut irrueret in aggressorem, illumque interimeret. Arma castitatis sunt pudor, verecundia, modestia, invicta constantia, animi fortitudo, qua aggressores strenue repellantur; ad caelestis sponsi sinum recessus, & ardens divinae gratiæ petitio. Hæc si servaverint virgines, ut stæque matronæ, numquam deerit ad repellendos impuros aggressores divinum validissimum præsidium.

Malefactorum occisio justa ac licita est. 55

est, sub vano & malitioso bonæ intentionis prætextu contra acceptum lumen, cognitamque veritatem agere. Nullo igitur pacto permittitur, ut homicidia fiant propter injuriosa verba, aut causas tam leves, quales novi isti Doctores afferunt, qui in ea tantum Universitate docere possent, quam Montanus, senex sancti Ludovici tempore celebris, moderabatur.

C A P U T IV.

Malefactorum occisio justa ac licita est.

Qui injuste alicui vitam eripit, homicida est; ille autem injuste eripit, qui sine legitima causa, sine auctoritate publica, ut jam diximus, alteri vitam adimit: Princeps, seu Magistratus, qui malos morte plectit, non modo non peccat, verum bonum opus & meritorium agit; *Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit* (inquit Apostolus *Rom. 13.*). Si criminibus omnibus parcat, non hæc clementia est, sed crudelitas in Rempublicam, quæ flagitat, ut iniqui puniantur ad ea coercenda mala, quæ ex illorum impunitate promanant. Sanctus Ludovicus cum in capella sua existens peritam gratiam perperam concessisset, postquam Horas recitans in Psalmi 105. versiculum illum casu incidit: *Beati qui faciunt justitiam in omni tempore: eandem gratiam revocavit.*

At extremum aliud vitare Princeps debet, nempe crudelitatem, quæ tyranni vitium est. Non debet ex inanibus suspicionibus homines

plectere, qui ad Dei imaginem conditi sunt: debet iram suam compefcere, & sinere ut Judices juxta leges justitiæque formam sententiam ferant. Prudenter enim Principes magistratus statuunt ad ea etiam cognoscenda crimina, que seipfos attingunt; ne velut homines erroribus affectibusque subjecti innocentes perdant, reosque absolvant. Evenire tamen potest, ut Mag-natem aliquem quamvis proditiõis reum puniri Princeps nequeat, ne turbas in regno suo excitet, verum hi casus tamquam extraordinarii extra regulam sunt positi: ego vero existimo, si vera certa que sit proditiõ, nec palam revera Princeps punire illam possit, licere Principi non servato juris ordine subditum interficiendum curare.

Hæc in judicando a Magistratibus sunt servanda. 1. Oportet, ut in personam damnandam habeant auctoritatem.

2. Oportet, ut mortis causa sit justa; idest ut juxta leges crimen morte sit puniendum. Hinc Judex, qui ex passione, aut immoderato justitiæ zelo, vel ex avaritia morte damnaret reum, tritemium pœna potius puniendum, mortaliter peccaret, & damna ex illius morte secuta teneretur pro viribus refarcire. Si vero Judex innocentem sciret esse hominem, qui ex testibus reus apparet; deberet modis omnibus adniti, ut illius pateret innocentia, & sic mortem vitaret: quod si nequiret efficere, posset licite illum condemnare, si supremus esset judex quia lex illi præcipit, ut secundum allegata & probata sententiam ferat. Subalternus autem Judex pe-

Malefactorum occisio justa ac licita est. 57

est iudicium differre, vel ad superiorem remittere; & si posset, innocentem iuvare, ut e carcere fugiat, dummodo de illius innocentia certus omnino sit.

3. Oportet, ut juris ordo servetur; nam si Iudex juris ordinem exacte non servet, mortaliter peccat, quamvis illum damnet, qui reus revera sit.

4. Oportet, ut rationes omnes patienter Iudex audiat, quibus se accusatus turet; & ut ab illo captiosis interrogationibus vexando absteat, nisi illum subdolum esse hominem certo sciret, qui modis omnibus crimen suum tegere nititur: tunc enim liceret ad veritatem eruendam artificiosis interrogationibus uti. Tortura ordinarius est modus, quo veritas a reis eruitur; sed hac uti non licet, nisi adsit semiprobatio; nec ex confessione in tormentis facta, cum sit violenta, quemquam damnare licet.

5. Oportet, ut Iudex reum damnaturus omni passione vacet, nec odio, iræ, avaritiæ, aut cupiditati serviat in sententia ferenda. Caveat autem ne Principi blandiatur, qui illos sibi tradidit, quos iudicii forma perdere intendit. Id præcipue attendant Iudices extraordinarii, quos Commissarios vocamus, ne illud verum sit adagium, multum distare utrum quis a Justitia, an a Commissario damnetur.

CAPUT V.

Se ipsum occidere numquam licet.

Ethnici non modo licitum sæpenumero esse se ipsum occidere putaverunt, verum etiam heroicum id in aliquibus esse sunt arbitrari. Lucretiam omnes celebrant, quæ seipsam confodit, licet invita a Tarquinio fuerit oppressa. Catonem quoque summis laudibus efferunt, qui post Cæsaris victoriam vitam sibi eripuit. Verum illis est ignoscendum, qui Evangelii luce carere, animique vim actionibus iis metiebatur, quas furor, infirmitas, aut vanitas imperabat. De Lucretia sic loquitur sanctus Augustinus: *Quod seipsam, quoniam adulterium pertulit, etiam non adultera occidit, non est pudicitiae caritas, sed pudoris infirmitas. Non hoc feminae christianæ fecerunt, quæ passæ similia vivunt: tamen nec in se ultæ sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua, si quoniam hostis in eis concupiscendo supra commiserat, illæ in seipsis homicidia erubescendo committerent (de Civit. Dei l. 19. c. 20.).*

In orbe Deus homines, velut dux milites in castris, locavit, qui locum suum sine ducis licentia non deserunt, vel si deserant, puniuntur.

Vitæ suæ homines non sunt domini; sed Deo in primis, deinde patriæ illam debent. Illa igitur uti pro libitu nequeunt, nec voluptatibus illam deterere, vel ad infamiam aliudve malum vitandum ipsam perdere. Dei providentiæ se debent

debent subicere, quæ illos infortuniis objicit, eumque exorare, ut sibi vim ad illa patienter ferenda, iisque bene utendum largiatur. Verum in suis Christiani calamitatibus sanctiori adhuc ratiocinio uti debent: Christianis enim considerandum est, ad patiendum se nasci, & in dolore esse felices, patientia siquidem Redemptori suo similes fiunt, tutumque sibi parant ad gloriam iter. Non illis propter dolores invisa vita esse debet, neque ad eos finiendos mors optanda, multoque minus procuranda (a).

Contra caritatem peccat, qui seipsum occidit; homo siquidem seipsum debet amare: peccat quoque contra justitiam, quia vitæ suæ, ut diximus, dominus non est homo, sed Deo patriæque suæ illam debet. Quamobrem nec illi licet se mutilare; qui vero se mutilaret, si Presbyter esset aut Religiosus, subiceretur Excommunicationi canonis. Si quis suadente diabolo, quamvis ad castitatem servandam id faceret, sicut imprudenti zelo fecit Origenes, quem propterea Ecclesia damnavit. Attamen si membrum gangræna vitiatum aut corruptum esset, recidi posset, quando secus vita servari nequiret. Qui vero

(a) Ex hac ipsa ratione nec licet alium occidere volentem, & petentem 1. quia sicut ego ita nec ille est vitæ suæ dominus: *Ego occidam, & ego vivere faciam*, inquit Deus (Deut. 32.). Cæterum propter bonum commune, vel altioris ordinis posse nos, ac quandoque debere animam nostram ponere, variaque pericula subire ex alibi dictis abunde patet.

vero vehementer dolorem timeret ex brachii amputatione sustinendum, vel ex alterius membri jactura, nec certus esset se hoc remedio mortem vitare posse, moriendi periculo se posset exponere, ne dolorem illum pateretur, quin esset suiipsius homicida.

Nec licet quoque permittere, ut alius nos occidat; quamvis contingere possit, ut morti se objicere aliquando liceat, imo oporteat. Hinc a latrone aggressus, qui vitam suam servare nequit, nisi illum occidat, eximium caritatis opus ageret, si se occidi permetteret, ne latronem peccato mortali obnoxium interficeret (*Sotus lib. 5. q. 1. art. 8.*). Tunc enim æternam aggressoris sui vitam temporali suæ anteferreret, quam sine peccato tueri posset; & sanctus Johannes Christi exemplum afferens inquit: *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere (Joan. 3.)*. Quandonam utilius fratribus hoc caritatis nostræ testimonium exhibere possumus, quam ubi de æterna illorum salute agitur? Non ut divites, aut potentes illos in mundo faciamus, mors est nobis obeunda, minoris enim temporalia hæc bona sunt æstimanda, quam nostra vita: æterna sola fratrum salus vitæ nostræ potest anteferri.

Qui ad fame moriendum esset damnatus, oblatum cibum sumere posset, imo ipsum Cajetanus ait ad famendum cibum teneri: alii tamen ad id non teneri existimant, sed censent posse illum Judicis sententiam exequi, sicuti damna-

tus

Se ipsum occidere numquam licet. 61

tus ad bestias potest vel se defendere, vel se occidi permittere.

Qui ita rigide jejunat, ut vitæ discrimen subeat, mortaliter peccaret, si se intenderet hoc pacto occidere; sed si ex pœnitentiæ zelo id ageret, nullum peccatum committeret: nihilominus si a Superiore moneatur, debet hoc exercitium omittre, melior est enim obedientia, quam sacrificium.

Virginum quarundam afferri possunt exempla, quæ vel se mucrone transfixerunt, sicut egit sancta Sophronia; vel se in rogum conjecerunt, veluti sancta Apollonia, aliæquæ plures, quæ propterea suimet ipsarum homicidæ visæ sunt. Verum singularibus hisce exemplis respondetur, Dei spiritu actas illas fuisse, adeoque a lege exemptas, juxta quam a carnifice mortem expectare, non illam sibi inferre debuissent: quare non illas Ecclesia in hoc imitandas proponit. Egregie de Sampson, qui domum evertens seipsum oppressit, ait sanctus Augustinus: *Nec Sampson aliter excusatur, quod seipsum cum ruina domus oppresserit, nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat. His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse justitiæ fons Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.*

CAPUT

CAPUT VI.

Abortum procurare omnino illicitum est.

Procurare abortum illi dicuntur, qui studiose quidquam agunt, sumunt, aut alteri sumendum præbent, ex quo fœtus; sive animati sive inanimati ejectio sequitur.

Docuere nonnulli, licite posse puellam, quæ propria culpa gravida est effecta, procurare abortum, ut familiæ suæ infamiam ex partu secururam devitet, dummodo fœtus non sit animatus. Horrorem hæc opinio omnibus iis incutit, qui humanitatis sensum habent; & illuforia omnino est exceptio, quam subjiciunt, non enim certo scitur, quo tempore fœtus sit animatus. Communis opinio censet post quadraginta dies fœtum animari; sed doctissimi novi Medici tenent, id post tres dies evenire, & in tam arca re pro sua sententia probabiles rationes afferunt. In hæc vero incertitudine puella abortum procurans homicidii committendi periculo se exponit; impedit enim ne suo fœtui anima infundatur vel illum jam viventem ante ortum occidit, quæ immanis est crudelitas. Potestne hoc nomine excusari, quod secururam ex partu infamiam vitat? Hæc infamia commissi peccati justa est pœna, quæ pœnitentiæ spiritu est ferenda, non novo peccato vitanda. Illiberitanum Concilium pœnitentiæ plectit hoc crimen (a).

Con-

(a) Si conceptum semen ejicere, aut fœtum nondum animatum expellere liceret periculum esset.

ge

Abortum procurare omn. illicitum est. 63

Conceptum proin semen studiose ejicere, aut foetum, antequam animetur, expellere semper illicitum ac grave peccatum est, quod ad homicidii specimen est reducendum. Si enim pollutio voluntaria mortale est crimen, quia semen a natura ad generationem, & speciei conservationem ordinatum frustranee perdit; quo magis abortus procuratio erit damnanda, quae foetum jamque inchoatum, & fors omnino animatum hominem pessumdat? Qui itaque procurare abortum volentes potionem sumunt, nimios motus, aut inordinatos saltus attentant, enorme peccatum committunt, & si hoc post quadraginta a conceptione dies fiat, atque ipse ejectionis, quem intendebant, effectus sequatur, veri homicidii reatum contrahunt, ac praeter irregularitatem insuper incurrunt excommunicatio-

ne homines delectatione contenti, partum prolis negligenter, & saepe impedirent, ut curis, & alendae prolis laboribus liberarentur: quod in non leve humanae speciei detrimentum cederet, econtra fornicationi & stupris, a quibus saepe prolis timor absterret, nimium quantum multiplicandis occasio praerberetur. Haec, aliaque absurda Innocentius XI. praevidebat, dum anno 1679. istas propositiones damnavit: *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Num. 34. *Videtur probabile omnem foetum quamdiu in utero est, carere anima rationali, Et tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Num. 35.

cationem, quam plerique Episcopi sibi reservant (a).

Peccant quoque, & in abortus crimine participant Medici, Chirurghi, pharmacopœ, qui puellis improvide talia medicamenta præbent, quibus fœtus expulsio, aut destructio causatur. Ejusdem peccati se reos faciunt mariti, qui nimis laboribus gravidas uxores onerant, ad gravem iracundiam provocant, aut omnino verberibus affligunt. Item illi qui uxoribus gravidis concitaras choreas vel offerunt, vel indulgent, quique nimium incontinentes conjuge partui proxima utuntur cum damno, aut non levi fœtus periculo.

Atta-

(a) Cum igitur pœnitens de abortu se accusat, Confessarius ex eo quærat 1. Utrum abortum sua ex actione secutum præviderit, ac intenderit? 2. Sitne effectus abortivus secutus, & quidem vi præcedentis actionis secutus? 3. Quoto conceptionis die hoc attentatum contigerit? Si ergo pœnitens abortionis effectum sive directe sive indirecte intendit, actu obtinuit, & quadragesimo post conceptionem die eundem obtinuit, tam pœnas canonicas, quam reservationem incurrit. Si prima conditio desit, nullum adest peccatum; si secunda, vel tertia deficiat, grave quidem scelus est commissum; sed nec censuræ, nec reservationi obnoxium. Porro nædum ecclesiasticum, sed civile quoque Jus in eos, qui abortum procurant, graviter animadvertit. Fœtus inanimati expulsionem procurantes exilio, fœtus animati abortum causantes ad judicem delati, & convicti morte puniuntur.

Reges, aut Prælatos occidere &c. 65

Attamen medicinam, quæ ex natura sua ad matris sanitatem non vero ad fœtus expulsionem servit, sumere licet, si aliter matri subveniri non possit, ac fœtus necdum animatus credatur; tali enim casu si abortus contingeret, omnino per accidens, ac præter intentionem sequeretur; nec fœta mater, jure suo utens, quidquam contulisset. Quodsi jam animatus fœtus sit, major cautela erit adhibenda. Si certo mater cum prole moritura prævideatur, nisi ei medicina subveniat, licita erit medicinæ sumptio, utpote favorabilis matri, nec hisce in circumstantiis nociva proli, jam alias peritura; si vero matrem absque medicinali portione morituram, prolem vero supervicturam verisimilius appareat, deneganda est medicina. Hancque vitæ caducæ jacturam christiana mater æquanimiter feret, ut proli Baptismi fluentis abluendæ vitam æternam comparet.

C A P U T VII.

Reges, aut Prælatos occidere nunquam licet.

Quemcumque auctoritate privata occidas, quintum, ut diximus, violatur præceptum; attamen alia sunt aliis homicidia graviora.

Regem occidere est in unctum Domini manus injicere, & sacrilegii speciem patrare; quoniam Rex persona sacra est. David hominum mansuetissimus occidi jussit Amalecitam, qui Saulem interfecerat, ejusque diadema & armil-

Godeau Theol. Mor. Pars II.

E lam

lam ad se attulerat. Eadem Pœna punit interfectores Isboseth, qui Saulis filius erat, licet illegitimus. Constantiense Concilium veluti hæreticam, & detestandam illorum opinionem damnavit, qui licitum esse tyrannum interficere afferebant (a). Numquam vel privata vel publica auctoritate occidere licet Principem, qui in populum suum tyrannidem exercet; sed quoniam, ut Sapiens ait, *cor regis in manu Domini* (*Prov. 21.*) expectandum est, donec crudelis, violentique Principis cor Deus mutet, illumque, ut id præstet, orare oportet: verum interea Princeps, licet crudelis, est tolerandus, ejusque scelerum supplicium divinæ justitiæ est relinquendum. Aodi Deus præcepit, ut Eglo-nem Moabitarum regem occideret; verum Deus supremus est Judex, qui in hominum seu vitam seu

(a) Damnatæ propositionis iste est tenor: *Tyrannus potest a quovis licite, & meritorie occidi quocumque modo, maxime per insidias, non obstante quocumque juramento, vel confederatione apud eum, non expectando sententiam judicis.* Rustici, plebei que homines novis contributionibus &c. onerati statim de Tyrannide conqueruntur, suosque Principes veluti Tyrannos traducunt, & averfantur. Jam si Tyrannum occidere licitum, & meritorium esset; quæso te, quot & quantis insidiis, mortisque violentæ jaculis undequaque Reges peterentur? Quam frequenter hujusce doctrinæ praxis accideret? Ast quantum divina Providentia pro Regibus, ac Principibus vigilet, quantumque & doctrinam hanc & praxim Deus aversetur, antiquis historiæ fastis, ac novissimis, prorsusque mira Stanislai II. Poloniæ Regis conservatione docemur,

mortem plenum jus habet, nec quidquam nisi iuste agere potest. At homines sive singuli, sive in corpus unum coacti errare possunt, & iniuste agere; adeoque eorum sententia non est temere amplectenda. In Gallia doctrina nostra ab iis solum impugnatur, qui animo Galli non sunt, licet in Gallia nati, & qui libentius externos quosdam Auctores audiunt, quam celebres theologicas Facultates, veluti Parisiensem. In hoc demonstrando non ultra immoror, plures enim extant libri, in quibus hæc quæstio egregie discutitur.

Papa, Cardinales, Episcopi, Presbyteri, & Religiosi personæ sacræ sunt, quarum occisio gravior est, quam cæterorum, illique adnexa est excommunicatio famosi Canonis *Si quis suadente diabolo*. Neque solum homicidium huic censuræ subjicitur, sed mutilatio quælibet, sed percussio quoque gravis ense, manu, baculo, aut lapide inflicta; quælibet etiam atrox injuria, veluti lacerare vestes, in faciem conspuere, aut carceri mandare. Si Clerici percussio sit levis, & sine sanguinis effusione, non est Papæ reservata absolutio, illamque Episcopus potest impertiri; si vero enormis sit percussio, solus Papa potest absolvere, nisi percussor sit impubes, quo casu potest etiam Episcopus.

Non omnis Clerici percussio excommunicationi subjecta est, si joco fiat, aut ob correctionem, aut percussi qualitate ignorata. Si Clericus a marito cum uxore sua turpia agere invenitur, aut a fratre cum sua sorore, aut a patre

cum filia, vel a patruo cum nepte; tunc si occideretur, nulla adesset censura, quamvis hæc occisio peccatum esset mortale: parcit enim Ecclesia mariti, fratris, patris, patruive dolori ob sibi illatam injuriam.

Si consecratus Patriarcha, Archiepiscopus, aut Episcopus verberetur; si venenum illis porrigatur, aut carceri mancipentur, aut vi de loco ejiciantur; si hæc contra illos fieri jubeantur, aut consulantur, aut hæc facientes juventur, excommunicatio Papæ reservata incurritur. Idem dicendum est de Cardinalibus, licet non sint Episcopi. Eadem excommunicatio ab iis incurritur, qui verberant, vel occidunt Notarios, Advocatos, Procuratores, Judices, Auditores, qui officium suum in Romana curia exercent aut ad illud exercendum Romam petunt, si ejusdem officii causa crimen patretur. Qui Romam litis causa petunt, aut inde redeunt, eodem gaudent privilegio; atque hoc ideo cautum est, ut tuta omnibus ad justitiam via sit, quam a sancta Sede expetunt.

C A P U T VIII.

Moderamen inculpatæ tutelæ exponitur.

Et si quilibet ex suimet caritate vitam suam tue-
ri debeat, christiana tamen caritas naturali
huic legi quasdam addit exceptiones; & primo
requirit, ut nullum aliud conservandæ vitæ suæ
remedium suppetat, necessumque sit omnino
aut occidere, aut occidi: tunc justitiæ quidem
non

non opponitur, quæ alium ob sui defensionem occidere permittit; verum consulit, & juxta plerosque sanctos Patres præcipit, ut a latrone vel ab hoste aggressus vitam sibi potius eripi permittat, quam hostem aut furem ipse occidat.

Magnus sanctus Augustinus quæstionem sic perspicue solvit: *De occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, & non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit personæ (epist. 154.).* In Tractatu de Libero arbitrio (lib. 1. cap. 1.) ait: *Quomodo apud divinam providentiam a peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Porro res illæ, quas juxta sanctum Augustinum contemni oportet, sunt quæ nobis invitis auferri possunt: hujusmodi vero nonne est vita?

Nicolaus Pontifex interrogationi respondens, an liceret Clerico, qui ethnicum pro suimet defensione occiderat, in suo gradu permanere, & ad altiorem ascendere, inquit: *Scitote nullam nos occasionem dare, neque ullam tribuere licentiam eis quemlibet hominem occidendi (can. de his Clericis, dist. 50.).*

Optarem utique, ut doctrinam hanc Christiani cuncti susciperent; sed quoniam hoc minime sperandum est, hominum infirmitati aliquid est indulgendum. Communem igitur opinionem sequar, quæ civilibus, canonicisque legibus

gibus innitur, nempe licitum esse aggressorem interficere, quando ad propriam defensionem id est omnino necessarium, *cum moderamine inculpatae tutelæ.* Porro hæc inculpata moderatio requirit, ut alia nulla adsit evadendi via, neque fuga. Quamvis enim fuga strenuo homini indigna videri possit, tamen aggressoris vita salusque pretiosior est, magisque facienda, quam fugientis honor, qui proximi saluti est posthabendus. Contra vero sapientum judicio laudanda hæc fuga est, & perfectæ caritati omnino consona; inquit enim sanctus Paulus: *Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ (Rom. 12.).* Non debent igitur juxta Apostolum Christiani aggressori obsistere, sed fugiendo locum dare iræ. Denique Doctores omnes uno ore affirmant, quemadmodum ob sui defensionem occidere aggressorem licet, ita licere ab aggressore se occidi permittere, ne in æternam hic damnationem cadat (a).

Quapropter non licet eos prævenire, quos vitæ nostræ insidiari scimus, sicut Casuistæ quidam

(a) Cum moderata, ac innoxia aggressoris occisio in praxi admodum difficilis, & non nisi ab homine mansueto, ac pio sit expectanda, enixe orandum, ne in ejusmodi angustias nos Deus conjiciat. Homines enim passionibus servientes plerumque occidunt, & quidem vindictæ spiritu occidunt, ubi vel fuga, vel vulneratio, vel dearmatio invasoris sufficeret. Imo quam sæpe fugitivum inimicum æstuans ira persequatur, jamque vulneratum occidat, flebilis experientia docet.

dam docent, ut jam diximus; ubi enim de homicidio agitur, nemini alterum aggredi licet. Momento temporis voluntatem mutare potest iniquus; nec malam voluntatem exequendi certa semper est occasio, sexcentique casus mutare eam possunt. Hinc si uxor sciat pugionem sub cervicali a marito fuisse conditum, ut clauso ostio eam dormientem occidat, non arbitror licere uxori prævenire maritum, ipsumque dormientem pugione confodere. Sotus ait dubium id esse (*Lib. 5. de justit. & jure cap. 8.*) at ego certum censeo non licere. Etsi enim hæc femina clausa sit, & videatur aggressa; tamen quomodo scit mariti iram, dum ipsa dormiat, non esse mitigandam, ipsumque voluntatem suam non esse mutaturum? Quod si jam aggressa pugionem e mariti manu eriperet, ipsumque feriret, naturalis & licita hæc esset defensio (a).

Alius quoque casus est excipiendus; videlicet si Rex exempli gratia, aut persona publica Reipubli-

(a) Moderamen inculpatæ tutelæ nonnulli Auctores nimium quantum extendunt. Non solum *actualiter invasum* nece invaloris suam tueri vitam, sed & probabilibus ex signis *proxime invadendum* eodem modo defendere se posse asserunt. Ast hanc opinionem anno 1700. Clerus gallicanus damnavit, eamque omnes cordati abhorrent. Talis enim præveniens jam non sui defensor, sed inimici aggressor foret. Alias malas hujusce sententiæ sequelas quilibet oculatus facile perspiciet.

publicæ valde utilis infimæ notæ hominem, ac
 Reipublicæ inutilem aggredere, huic non li-
 ceret ob sui defensionem illum occidere, sed se
 potius deberet occidendum præbere. At si puel-
 la se ab aliquo mox violandam cerneret, nec
 virginitatem suam aliter quam se occidendo ser-
 vare posset, non illam homicidii damnarem;
 plures enim sanctæ virgines id fecere, quas
 Ecclesia veluti martyres honorat. Attamen cre-
 derem non esse id a virgine patrandum, nisi pe-
 culiari Dei afflatu ad id se motam sentiret, vel
 nisi prudenter timeret a voluptate se illectam in
 turpem actionem consensuram. Cum enim vi-
 pudicitia amittitur, nulla labes virginitatem pol-
 luit, nec præmium amittit, imo duplicem a Deo
 coronam tunc accipit; sicuti respondit sancta
 Lucia tyranno, qui sibi stuprum minatus fuerat:
*Si invitam jufferis violari, castitas mihi duplica-
 bitur ad coronam.*

C A P U T IX.

Belli justii assignantur conditiones.

Bellum magna est & inevitabilis homicidiorum
 occasio, quæri que potest, an Christianis li-
 ceat. Nostri temporis Anabaptistæ illud dam-
 nant, & Lutherus etiam adversus Turcas illud
 improbat; at catholica Ecclesia bellum interdum
 licitum esse docet.

Sanctum Joannem Baptistam interrogabant
 & milites, dicentes: *Quid faciemus & nos?*
 Et ait illis: *Neminem concutiatis, neque calum-
 niam*

niam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris (Luc. 3.). Ethnicorum Imperatorum exercitus pleni erant Christianis, qui veluti cæteri & urbes oppugnabant, & cum hostibus congregabantur. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Hostes vos sentiant Madianitæ, & percussite eos (Num. 25.). Præcepit quoque Dominus populo suo, ut destrueret Amalec: Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis, universumque populum ejus usque ad internecionem (Num. 21.); promisit quoque, se in bello eidem opitulaturum: Nolite timere, Dominus pugnabit pro vobis (Exod. 14.). Ad Davidem autem ait Abigail: Prælia Domini tu præliaris (I. Reg. 25.). Ipse vero David ita canit: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum (Psalm. 147.).

Sæpissimè Deus Christianos Imperatores bellantes adjuvit vel contra infideles, vel contra rebellantes. Fulgida in cælo Crux Constantino apparuit, circa quam hæc verba erant adscripta: In hoc signo vinces. Si privatis hominibus vitam suam licet defendere, vim vi repellere, & bona sua coram Judice vindicare; quomodo non licebit Principibus ditionem suam ab hostibus tueri, aut captas ab iis urbes armis reperere, aut illatam sibi injuriam, quæ regni honorem & felicitatem lædit, ulcisci? Bello Principes jura sua tuentur, aut recuperant; illudque plerumque suscipere non modo possunt, sed debent; cum enim regna sua tueri debeant ac protegere,

caveant oportet, ne illorum turbetur quies, ne potentia labatur, neve splendor obfusceretur.

Prima conditio, qua bellum permittitur, est causæ *justitia*; soli enim Principes, qui omni Religionis sensu carent, bella gerunt ex injusta causa, ob vindictam, vanitatem, & superbiam.

Secunda belli conditio est, ut qui bellum ciet, legitimam belli gerendi habeat *auctoritatem*. Oportet, ergo, ut Rex, aut Reipublicæ Princeps pro communi bono bellum gerat. Regnorum suorum defensio, usurpatarum ditionum recuperatio, gravium atrociumque injuriarum negata satisfactio, jurium suorum conservatio, rebellium punitio, sociorum protectio, justæ sunt belli causæ; at veræ Religionis defensio sanctior est belli causa, pro qua Reges nostri maria transmittere, & infidelibus bellum inferre non dubitarunt, ut Palæstinam ab illorum jugo liberarent.

Tertia conditio est, ut belli gerendi recta sit *intentio*, ne pravis nostris cupiditatibus obsequamur, ne regni amplificandi, aut famæ acquirendæ causa ducamur: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas* (inquit sanctus Augustinus *de Civit. l. 5. cap. 24.*). Tot peccatorum bellum est occasio, & tot affert mala, ut ex sola necessitate sit suscipiendum; ipsosque inter belli strepitus pax jugiter est optanda. Ita filios suos docet Ecclesia. Theodosium a bello redeuntem hortatus est sanctus Ambrosius, ut aliquamdiu a sacra Synaxi abstineret, non quia pec-

Belli iusti assignantur conditiones. 75

peccasset, sed oblatae super altare victimae causa, quae pacis est hostia.

Bello non se immisceat odium; & ubi injuriarum satisfactionem hostis offert, aut bona vel ditiones occupatas restituit, debet Princeps arma deponere, quoniam belli gerendi causa sublata est. Durante bello non damna quaelibet hostibus inferre licet, sed illa solum, quae ad illos vincendos, & ad jus suum vindicandum profunt. In Deuteronomio haec Deus Judaeis praecepit: *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo. Sin autem foedus inire noluerit, & ceperit contra te bellum, oppugnabis eam. Non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus per circum debes vastare regionem, quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum (cap. 20.)* Non ergo hostium regionem vastare licet, nisi ad victoriam omnino esset necessarium; & humanitatem semper aliquam fratribus suis praestare debent Christiani; nec barbarorum mos est imitandus, qui flammis omnia tradunt, & indelebilia furoris sui relinquunt vestigia. In urbium expugnatione clari Duces magnas semper crudelitates prohibuerunt, eas subegisse contenti; cum vero eas militibus depopulandas reliquerunt, incendia vetuerunt & stupra. Hominum enim more, non ferarum bellum est exercendum.

Porro

Porro quemadmodum Princeps pie ac serio belli causas debet perpendere, nec temere bellum suscipere, ita nec milites, nec subditi belli justitiam examinare tenentur: sufficit, ne prorsus injustum credant, & in dubio Princeps sequendus est, illique obtemperandum. Si vero milites extranei sint & stipendiarii, non possunt Principi militare, nisi certo putent bellum esse justum: id debent attendere, qui Principi cuiusque militant, nec examinant utrum justum sit bellum, necne. Qui pro infidelibus contra Christianos pugnant, excusari nullatenus possunt, & apostatæ quodammodo fiunt.

Princeps injustum bellum gerens damna omnia, quorum causa est, resarcire tenetur. At si revera justum sit bellum, sed non recta sit Principis intentio, peccat quidem, non tamen ad restituendum adstringitur.

Hic autem Principis de Conti nequeo præterire exemplum, quod Gallia tota mirata est. Postquam malo ductus fato adversus Regem suum pugnavit, arma posuit, & cum Rege in gratiam rediit; majus autem a Deo beneficium accepit; pœnitentiæ scilicet gratiam. Peccatum namque suum ingentibus austeritatibus expiare curavit, verum & provinciæ suæ locis illata damna reparare satagit: hæc diligenter recenseri jussit, magnamque pecuniæ vim illuc misit, qua belli damna ab incolis passa sarciret. Si novum quempiam Casuistam consulisset, probabilibus saltem rationibus a restituendi onere fuisset exemptus; sed Evangelii tantum regulis paruit, quas pius Episcopus fideliter illi explicavit.

CAPUT

C A P U T X.

Duellum omni lege est interdictum.

Duellum est pugna duorum, qui crudeli hoc & diabolico invento acceptam injuriam ulcisci cupiunt. Naturali lege illud prohibetur; hæc siquidem homini jubet proximum suum vel ejusdem naturæ consortem amare, mutisque officiis societatem fovere. Qui duellum exhibet, seipsum non amat, nam se morti objicit, aut adversarium suum occumbendi periculo exponit: si duellum offeratur, acceptare illud non licet. Nam qui duellum acceptat, aut innocens est, aut reus: si innocens est, nec alterum læsit, cur se morti objicit? si vero reus, cur innocentem conjicit in vitæ discrimen? Non est suæ vitæ, nec alienæ dominus: hæc Deo reddenda est, cum illam postulabit, vel Reipublicæ est conservanda. Nemini igitur licet vel suam, vel alterius vitam temere periculo exponere.

Dei lex homicidium prohibens duellum quoque vetat. In Exodo perspicue dicitur: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo evelles eum, ut moriatur (cap. 21.).* Idem in Deuteronomio repetitur: *Si quis odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, & mortuus fuerit: non misereberis ejus, & auferes innoxium sanguinem de Israel, ut beneficit tibi (cap. 19.).* Non hic distinguitur, utrum quis proximum suum duello occiderit,
an

an per insidias: sed universim homicidium prohibetur. Textus, quos ex Evangelio & sancto Paulo attulimus, pariter evincunt duellum juri divino esse oppositum.

Lex quoque ecclesiastica duellum prohibet. Valentini III. Concilii tempore frequentia erant in Gallia duella, aut pro privatis ulciscendis injuriis, aut pro falsis accusationibus refutandis. Gundebaldus Burgundiæ Rex hanc consuetudinem firmarat lege, quæ ab ejus nomine dicta est. Avitus Viennensis Episcopus huic legi obstitit, & ad hunc tollendum abusum in III. Valentino Concilio collecti Episcopi sequens Decretum condidit: *Et quia ex hujusmodi juramentorum, imo perjuriorum contentione, etiam usque ad armorum certamen solet prorumpi, & crudelissimo spectaculo effunditur cruor belli in pace, statuimus juxta antiquum ecclesiasticæ observationis morem, ut quicumque in tam iniqua, & christianæ pacis inimica pugna alterum occiderit, seu vulneribus debilem reddiderit, velut homicida nequissimus, & latro cruentus ab Ecclesia, & fidelium cætu separatus, ad agendam pœnitentiam omnibus modis compellatur. Ille vero, qui occisus fuerit, tamquam sui homicida, & propria mortis spontaneus appetitor, a dominicæ oblationis Communione habeatur alienus, & cadaver, juxta sanctorum Canonum decreta, cum psalmis vel orationibus ad sepulturam non deducatur.* Addunt a christianissimo Imperatore petendum esse, ut Edictis suis detestandum hunc morem abroget.

Duellum omni lege est interdictum. 79

Lateranense II. Concilium nundinas prohibet, in quibus solebant milites duellum inire, ut vires suas probarent; jubetque mortuum in duello ecclesiastica sepultura esse privandum.

Postremum Tridentinum Concilium excommunicat ipso facto omnes Principes, qui duella publica sua in ditione permittunt. Bellantes item & paternos eadem pœna punit, additque bonis suis omnibus esse spoliandos, perpetuo infames fore, & ecclesiastica sepultura in duello mortuos esse privandos.

Pontifices Nicolaus I. Julius II. Leo X. Clemens VIII. Pius IV. Gregorius XIII. & Clemens VIII. particulares ediderunt Constitutiones, ut sub ecclesiasticis censuris duella prohiberent. Nostri quoque Reges severissimis Edictis illa prohibere; & Ludovicus XIV. tam severum expressamque Edictum edidit, tamque sollicitè ejus observantiam curavit, tamque exemplaribus pœnis ejusdem violatores punit, ut crudelem hunc morem e Gallia omnino eliminandum sperare liceat.

His positis argumentis, & prohibitionibus, quomodo novus Casuista scribere audet, posse virum nobilem duellum acceptare, si illud recusans infamis evaderet; posse vero a viro nobili duellum offerri, si quando ipse aut injuste accusetur, aut alius sibi mortem minetur? Idem plerique alii Casuistæ docent; & licet duellum formaliter acceptare licitum esse negent, tamen indirectè illud acceptari posse docent, & modum

modum tradunt, quo vir nobilis duellum offerenti respondeat: quasi Deus, qui cordis intima speculatur, verbis falli posset. Vana eorum ratio est, quia honorem suum tueri licet, quemadmodum defendere licet vitam, quæ honore ipso est vilior. At definiendum in primis est, quid sit honor. Profecto, ut Philosophi docent, verus hic esse debet, ex virtute ortus, & quædam veluti ejusdem imago. Porro honor, qui duello tueri creditur, estne constans verumque bonum, & ex virtute ortum? Cunctis homines id fatentur? Evangelii lex, quam sequi debet Christianus idne docet? In sola pene Gallia duellorum viguit usus: cæteræ nos gentes stultos ac furentes putarunt, dum hac via jura nostra turati sumus. Evangelium nos jubet bonum pro malo reddere, & pro calumniantibus orare; tantum abest, ut eos mortis periculo objiciamus. Hic honor vana chimæra est, quam diabolus, qui ab initio homicida fuit, velut quid solidum in hominum corda misit; unde seducti legem iniquam condiderunt, cui mundi amatores obtemperarunt, illam vero sapientes semper contempserunt, & improbarunt. Quam obrem ridiculum est asserere; licitum alicui esse in duello pugnare, ne ignavus censeatur (a).

A bar-

(a) Hanc ipsam propositionem Alexander VII. damnavit: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Est num. 2. Benedictus XIV. ut novos quosdam duellantium patronos corrigeret edita anno 1752. Constitutione *Detestabilem*, sequen-

Duellum omni lege est interdictum. 81

A barbaris stultisque hominibus ille contemne-
tur; verum si probus est, egregiisque factis
illustris, nullam veri honoris jacturam faciet.
Vira verum & solidum bonum est, quod falsæ
opinionis non est comparandum; illam autem iis
artibus defendere licet, quas humanæ, divinæ
que

quentes tamquam falsas scandalosas, & pernicio-
sas prohibuit propositiones. 1. Si vir militaris,
nisi offerat, & acceptet duellum tamquam formi-
dolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria
ineptus haberetur, indeque officio, unde se, suosque
sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi de-
bitæ, ac promeritæ spe perpetua carere deberet, cul-
pa, & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet
duellum. 2. Excusari possunt etiam honoris tuen-
di, & humanæ vilipensionis vitandæ gratia acce-
ptantes duellum, vel ad illud provocantes, quando
certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote
ab aliis impediendam. 3. Non incurrit ecclesiasti-
cas pœnas, ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux,
vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi me-
tu amissionis famæ & officii. 4. Licitum est in
statu hominis naturali acceptare, & offerre duel-
lum ad servandas cum honore fortunas, quando
alio remedio earum jactura propulsari nequit.
5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam
potest statui civitatis malæ ordinatæ, in qua nimi-
rum vel negligentia, vel malitia Magistratus ju-
stitia aperte denegatur. Dein confirmatis pœnis
in Jure contra duellantes statutis insuper decla-
ravit, sepulturæ sacræ privationem, a Tridenti-
no in loco duelli morientibus dictatam, posthac
etiam ab iis, qui ex vulnere accepto extra lo-
cum conflictus decedunt, incurrendam, sive
duellum publice sive privatim indictum fuerit,
sive morturiens pœnitentiæ signa dederit, atque
Godeau Theol. Mor. Pars II, F a pec-

que leges permittunt. Illusio est asserere duellum acceptari posse, si quis hanc formet intentionem, se nolle seipsum ulcisci, verumtamen velle honorem suum tueri. Hæc enim intentio efficere numquam potest, ut divina lege & humana veritum duellum liceat, neve violetur illud præceptum: *Non occides.*

Disputant Doctores, an inter duos Reges liceat duellum, quo belli causas invicem definire volunt; quemadmodum ad bellum finiendum, quo flagrabat Europa, Carolo V. obtulit Franciscus I., qui ad constitutum locum revera illum expectavit.

Rarus admodum est iste casus; & quin illum decidam, dicam posse Regem, qui gravi & periculoso bello populos suos premi videt, communibus calamitatibus ita commoveri, ut post tentata frustra media quælibet ad pacem ineundam cum hoste, qui obstinatus est, & a pace abhorrens, ipsi liceat pro communi salute in singula-

a peccatis & censuris absolutus fuerit, five non &c. sublata Episcopis locorum super hac poena dispensandi facultate. Porro poenæ canonicæ contra duellantes latæ sunt 1. Excommunicatio latæ sententiæ tam ipsos congregientes, quam paternos, fautores, spectatores studio illinc venientes ligans. 2. Privatio sepulturæ ecclesiasticæ respectu illius, qui in duello vel propter duellum vivere desiit. Hisce accedit gravis obligatio satisfaciendi uxori, liberis; ac creditoribus occisi; si nempe hic supervivendo ex sua negotiatione, vel annuis pensionibus sufficienter illis providere, atque satisfacere potuisset.

gulari certamine vitam suam exponere; dummodo prius cum regni proceribus, doctisque hominibus consilium suum communicarit, lumenque a Deo ad recte deliberandum petierit. Cum enim cæpta jam inter utrumque exercitum pugna, inter confertos hostes Principem inimicum quærere, & cum illo congredi nequeat; si ab armis paullisper cessent exercitus; ut duos illos Principes invicem congredientes spectent, verum hoc esset duellum, quod jura cuncta permitterent. Possent etiam hi Principes inter se convenire, ut se invicem pugna jam inita quærerent; verum oporteret, ut vindictæ cupido abesset, aut prævalendi ambitio, sed tantum pro communi Reipublicæ bono arma tractarent.

Licite quoque possent duo Principes milites aliquot e suis exercitibus seligere, qui invicem pugnantes finem bello imponant: Si vero ad virium dumtaxat ostentationem id fieret, licitum esse non arbitrarer.

Torneamenta, quæ in Festis publicis fiunt, in quibus aut lancea rumpitur, aut adversus militum manum oppidum oppugnatur, licita sunt, quia quodlibet homicidii periculum ab iis abest: at taurorum ludi, qui in quibusdam regionibus valde sunt frequentes, licite fieri nequeunt, quia grave in iis periculum adest, ethnicumque morem nimis imitantur. Sanctus Pius Papa V. Kalend. Novembr. anni 1557. Constitutione sua sub excommunicationis pœna illos prohibuit, & ecclesiastica sepultura eos privat, qui in illis occumbunt. Navarrus hanc affert

affert exceptionem, videlicet si taurorum truncata essent cornua, nec probabile ullum effectus necis periculum. Id vero est difficillimum, & aliquod semper periculum adest: præterea christiano homine indigna res est, ut cum ferocibus belluis de virium præstantia certet. Illos tantum Ethnici leonibus objiciebant, qui ad mortem damnati erant.

C A P U T XI.

*Homicidium proditorium & casuale
explicantur.*

Homicidium casuale illud est, quod præter intentionem agentis, & casu accidit: modo mortale peccatum est, modo veniale. In veteri Testamento refugii urbes Deus statuit in qualibet Tribu, ut illuc confugerent, quicumque præter intentionem aliquem casu occidissent. In Ecclesia Principes templa pro reorum immunitate concesserunt, & prisca Episcopi sollicitè illam tuebantur. At Pontifices decrevere, ne grassatores illa gauderent: hocque S. Pius V. edita Bulla confirmavit. Adeo increverat immunitatis abusus, ut in Italia Ecclesiæ latronum & grassatorum tuta essent refugia.

Casuistæ quidam *proditoris* nomen male explicant, dum eos tantum proditores vocant, qui ad aliquem dolo occidendum acceperunt pecuniam; illos vero, qui non accepta pecunia, sed vindictæ, vel amicorum causa aliquem interficiunt, proditores non appellant. Hæc explicat

Homicid. proditorium & casuale &c. 85

plicatio non minus legi, quam sensui communi
adversatur. Ideone homicidium Ecclesiastica
immunitate est indignum, quia pro pecunia
committitur? Pecunia, quæ homicidæ traditur,
ullamne deformitatem homicidio addit? Nonne
æque, imo magis iniquum est, si quis alterum
occidat ulciscendæ injuriæ causa, aut amico ob-
sequendi gratia, quam si homicidium commit-
tat, ut suæ egestati succurrat, quemadmodum
solent banniti? Summorum Pontificum Bullas
sic interpretari, nonne idem est ac Christi Vica-
rii auctoritatem contemnere, illamque suo sen-
sui subijcere. Huic sane auctoritati injurius est
Diana, dum ait: „ Fateor quidem id a Ponti-
fice esse dictum, velut Ecclesiæ capite; atta-
men dixit juxta sphaeram probabilitatis judicii
sui “. Proditiones in Italia quotidie fieri
ab iis videmus, qui proditionem exequi student
prope Ecclesiam aliquam, ad quam confugiunt;
ibique intolerabili abusu morantur, quin sæcula-
ris judex illos audeat abducere, donec aut gra-
tiam obtineant, aut res suas componant. Jure
in Gallia hoc privilegium non conceditur, quod
impunitatem homicidis tribuens ad homicidia
patranda animum addit.

Vidimus jam ab Ancyrano Concilio involun-
taria homicidia septem annorum pœnitentiæ sub-
ijci: adeo Ecclesia humani sanguinis, & præci-
pue christiani effusionem est detestata, quam
novi quidam Casuistæ parvi pendunt.

Qui ad licitum opus incumbens aliquem casu
interficit, nullum peccatum committit, dum-
modo

modo ex tali opere homicidium passim non sequatur. Exempli gratia, dum in sylva quidam venatur, sagittam, aut ignitum globum in aliquid se movens immittit, hominemque casu occidit: hoc est homicidium prorsus involuntarium, quod culpa omni vacat. Sed si venationis locus publicum esset iter, qua viatores saepe transeunt, mortaliter peccaret, si necessarium non adhiberet diligentiam, ne quemquam ictu suo læderet. Item si quis, posito signo quo sibi transeuntes caverent, lapides ex domus suæ retro projiceret, non peccaret, si in caput transeuntis lapis caderet; si vero nullum signum posuisset, aut daret, peccaret mortaliter.

Patres vel matres, qui infantes, antequam ætatis suæ annum expleverint, in lecto suo dormientes detinent, mortaliter peccant, si illos suffocent; hi siquidem Synodalia statuta id prohibentia violant, puerosque suos evidenti periculo exponunt. Hinc Clericus quoque, qui venando hominem occideret putans esse feram, mortaliter peccaret, & fieret irregularis, quia ipsi venatio a Canonibus est vetita, & propterea vacat rei illicitæ (a).

Qui novit, se ebrium solitum esse quemcumque sibi primo occurrentem percutere, aut

(a) Hæc de venatione, aut alia actione non precise illicita, sed simul periculosa, ea nempe quæ sæpe mortem inducere solet, intelligi debent; quia secluso hoc periculo vix adhuc mors inde secuta operanti potest esse voluntaria, adeoque nec ei imputari. Ita hodie Communis.

Homicid. proditorium & casuale &c. 87

illos qui secum potant, mortaliter peccat, si aliquem in sua ebrietate occidat.

Quando Princeps auctoritatem suam omnem ad homicidia impedienda non adhibet, mortaliter peccat, & homicidiorum omnium, quæ in ditione sua patrantur, fit particeps. Præterea si duella non prohibeat, nec in duello certantes puniat; vel si certantes laudet, quoties initur duellum, ipse quoque peccat.

Urbis Gubernator, aut Rector, qui scit nocte errare in urbe latrones, qui patrant homicidia, mortaliter peccat, si excubias non statuat, nec satellites per urbem cursitare jubeat.

Advocatus, qui clientis sui innocentiam nec attente considerat, nec diligenter tuetur, si propterea hic morte damnetur, mortaliter peccat, nec a sua ignorantia excusatur.

Similiter peccat Medicus, qui ex artis suæ ignorantia ægrum interimit; uterque siquidem artem suam scire debet, vel illam dimittere.

Parentes, qui adolescentibus suis, quos rixosos sciunt, arma deferre permittunt, homicidiorum, quæ ab his patrantur, participes fiunt.

Magnates, qui leones aut feras bestias in palatio suo alunt, homicidiorum rei sunt, quæ evenire possunt, si bestiæ diligenter non custodiantur.

Si alicujus mors ideo eveniat, quia id facere omisisti, quod caritas præcipit, efficeris homicidii reus. Exempli gratia, si pauperem fame pereuntem, ut ait sanctus Augustinus, *non pavisti, occidisti.*

Qui testimonio suo innocentem potest a morte eripere, debet illud reddere, quidquid inde mali evenire sibi possit; quod nisi faciat, mortaliter peccat, & est homicidii reus. Item si quis insidias novit alterius vitæ paratas, hunc debet admonere, alioquin mortis ejusdem reus efficitur.

Qui homicidium directe, vel indirecte consulunt; veluti parentes qui de accepta injuria coram filiis irati conqueruntur, & vindictæ desiderium declarant; aut filiis hæreditatem concessuros se negant, nisi vindictam fumant; homicidii rei sunt, si ex his sermonibus excitatus aliquis homicidium committit.

Qui arma præbent, aut proditores recipiunt, vel prodicionem laudant, crimen pariter participant: qui vero post patratum scelus illud laudant, eidem quodammodo participare censentur.

Non modo actuale homicidium quinto præcepto prohibetur, sed quidquid illud prævenit, aut comitatur, veluti gladium, vel telum parare, venenum miscere, societatem inire, proditores convivio excipere, atque his similia: hæc omnia mortalia peccata sunt, licet homicidium non sequatur. Præterea hoc præcepto prohibentur verbera, mutilatio, veneni porrectio, denique vis quælibet, atrox injuria, contumelia, quæ verbo, vel opere fiat.



C A P U T XII.

Pœna canonica contra quinti præcepti violatores.

Qui Presbyterum occidit, duodecim annis pœnitentiam agat.

Si quis Presbyterum voluntarie occidit, a carne & vino abstineat, cunctisque diebus jejuset præter dies festos & dominicos; non equitet, arma non deferat, per quinquennium Ecclesiam non ingrediatur, sed ante januam assistat; post quinquennium Ecclesiam ingrediatur, sed non communicet, & inter auditores moretur: post decennium communicet, & equitet (*Pœnit. Rom. tit. I. cap. I. & t. 2. c. 24. Burcard. l. 6. c. 8.*).

Qui aliquem ecclesiastici Ordinis occiderit, aut Psalmistam, aut Ostiarium, aut Lectorem, aut Exorcistam, aut Acolythum, aut Subdiaconum, aut Diaconum, aut Presbyterum, vel qui consilium dat, ut horum aliquis occidatur, peculiarem agat pœnitentiam: id est pro Psalmistæ morte quadraginta diebus pane & aqua jejuset; pro Ostiario, Lectore, Exorcista, Acolycho, Subdiacono, Diacono eodem tempore pœnitentiam agat. Si quis vero Sacerdotem voluntarie occiderit, tamquam pro octo homicidiis pœnitentiam agat, nec umquam cesset a pœnitentia (*Burc. lib. 9. & 17. Pœnit. Rom. tit. I. c. 32. Conc. Vorm. c. 2.*).

Si quis Presbyterum occidit annis viginti octo pœnitentiam agat. Qui vero Presbyterum

occidit, a quo armato est aggressus, pœnitentiam aget decem annis (*1. part. 10. c. 15. Pœnit. Rom. tit. 1. c. 13.*).

Si quis partem suam, matrem, fratrem, vel sororem necet, ab Eucharistia suscipienda toto vitæ suæ tempore repellatur, a carnibus semper & a vino abstineat, item secunda & quarta cujuslibet hebdomadæ die jejUNET (*Greg. lib. 11. ep. 8. ad Bonif. Pœnit. Rom. tit. 1. c. 21.*).

Si quis patrem suum, matrem, fratrem, sororem, patruum, amitam, aut novercam occiderit: si casu hoc egit, & non ex ira, tamquam pro homicidio voluntario pœnitentiam aget: Si vero voluntarie & ex ira id patravit, unius anni tempore ante Ecclesiæ januam Deum orans morabitur; quo transacto in Ecclesiæ angulo per alium annum manebit; deinde si pœnitentiæ fructus in ipso appareat, poterit Eucharistiam suscipere, carnibus tamen vesci ipsi non licebit. Jejunabit diebus omnibus, exceptis festis; tribus vero per hebdomadam diebus vinum non bibet, nec cerevisiam, nec birram, nec liquorem ullum melle mixtum, non equitabit; arma non deferet, nisi contra Infideles; nec matrimonium poterit contrahere (*Syn. Vorm. cap. 30. Burc. lib. 19. p. 1.*).

Qui patrem suum, vel matrem voluntarie occiderit, extra patriam suam septem annis exulet, & in lacrymis gemitibusque usque ad mortem pœnitentiam agat: quod si voluntarie patricidium non commiserit, decem annis juxta

Prese

Pœnæ canon. cont. quinti præcepti &c. 91

Presbyteri iudicium agat pœnitentiam (*Pœnit. Rom. t. I. c. 14.*).

Qui voluntarie filium suum filiamve occiderit, fratrem vel sororem, quinque annis a patria sua exulet, quibus expletis pœnitentiam agat annis viginti. Qui voluntarie avum suum vel aviam, aut neptem, aut focerum, patrum, vel amitam, aut sororis suæ filium filiamve, aut consobrinum suum vel consobrinam a tertio usque ad septimum gradum: duodecim annis pœnitentiam agat, si intra tertium gradum homicidium commisit; si intra quartum, annis undecim; si intra quintum, decem; si intra sextum, novem; si intra septimum, octo. Si vero homicidium non sit voluntarium, juxta Presbyteri iudicium pœnitentiam agat.

Qui filium suum, filiamve spiritualem, dominum, dominamve, vel uxorem suam voluntarie occiderit, per quinquennium exulet; quo expleto, pœnitentiam agat quindecim annis, nec arma deferat: si vero voluntarium non sit homicidium, septem annis pœnitentiam agat.

Si quis vitricum suum, aut novercam, generum vel nurum, vel privignum, aut privignam occidit, decem annis pœnitentiam agat: si vero voluntarium non sit homicidium, quinque annis.

Si quis involuntarie filium suum occidit, pœnitentiam agat tamquam pro homicidio voluntario.

Mater, quæ filios suos occiderit, post annorum septem pœnitentiam in monasterium detradatur, in quo ad mortem usque deget.

Mulier,

Mulier, quæ post partum filium suum filiamve occiderit, duodecim annis pœnitentiam ager, nec umquam pœnitentia omni carebit. Si ob paupertatem, aut filios alendi difficultatem illos necavit, septem annis pœnitentiam ager (*i. part. 10. cap. 103. Pœnit. Rom. t. 1. c. 26. Burc. l. 10.*).

Mulier, quæ voluntarie abortum facit, tribus annis pœnitentiam agat; si vero invita abortum patitur, tribus quadragenis.

Mulier, quæ fœtum suum voluntarie ante quadragesimum a conceptu diem necat, per annum pœnitentiam ager: si vero post quadragesimum a conceptu diem, tribus annis: si edito jam fœtu illum necat, tamquam pro homicidio ager pœnitentiam (*Pœnit. Rom. tit. 1. c. 33. Burc. l. 17. c. ult.*).

Quæ ut peccatum suum celet, suum infantem occidit, decem annis pœnitentiam ager (*Pœnit. Rom. cap. 27. Burc. l. 17. cap. 53.*).

Qui filium suum post baptismum suffocaverit, quadraginta diebus pane & aqua & radicibus jejunabit, & ab uxore sua se continebit; postea vero per annos tres tribus in hebdomada diebus jejunabit, & tres servabit quadragesimas. Si vero ante baptismum suffocavit, diebus quadraginta ut supra jejunabit, & annis quinque pœnitentiam ager (*Pœnit. Rom. tit. 1. c. 29. Burc. l. 17. c. 51. Ans. l. II. c. 41.*).

Si alicujus culpa sine Baptismo moriatur infans, pœnitentiam ille ager tribus annis, quorum uno pane & aqua jejunabit. Si negligentia Presbyteri, cui traditus fuit, sine Baptismo moriatur

Pœnæ canon. cont. quinti præcepti &c. 93

riatur paganus infans, presbyter deponatur; si autem ex parentum negligentia id eveniat, per annum ipsi pœnitentiam agant.

Si alicujus negligentia sine Confirmatione puer moriatur, tribus ille annis pœnitentiam agat (*Pœnit. Rom. tit. 1. c. 22. Burc. l. 17. cap. 57.*).

Si uxor virum suum, quem de adulterio accusat, veneno interimit, vel aliter interficiendum curat, in monasterium ad pœnitentiam agendam detrudatur (*Burc. l. 6. c. 19.*).

Si quis seipsum occidat, nulla illius commemoratio fiat ad altare, nec cum Psalmorum cantu ejus cadaver sepeliatur.

Si quis voluntarie hominem occidat, ante Ecclesiæ januam toto vitæ suæ tempore degat, & morti proximus Eucharistiam suscipiat. Si casu occidit, septem annis pœnitentiam agat, vel quinque juxta alium canonem.

Si quis ut parentes suos ulciscatur, alium occidit, pœnitentiam agat tamquam pro homicidio voluntario (*Pœnit. Rom. tit. 1. c. 20. Burc. l. 16. cap. 22.*).

Qui alium occidit, ut fratrem suum ulciscatur, tribus annis pœnitentiam agat, quorum duobus ultimis per tres quadragesimas, & legitimis feriis jejunabit.

Si quis ex subita ira, aut ex rixa alium occidit, tribus annis pœnitentiam agat (*Pœnit. Bedæ c. 1.*).

Si quis ex domini sui mandato homicidium committit, quadraginta diebus pane & aqua je-
juna-

junabit; insuper per annos septem tribus in hebdomada diebus jejunabit (*ibid.*).

Qui homicidii consilium præbuit, per annos septem quadraginta diebus jejunabit.

Qui latronem occidit, quadraginta diebus ab Ecclesiæ ingressu abstinebit, & ter in hebdomada jejunabit (*Pœnit. Rom. c. 24.*).

Qui hominem occiderit, putans esse beluam, quadraginta diebus pane & aqua jejunabit, & juxta Presbyteri judicium quinque annis pœnitentiam ager (*Burc. l. 19.*).

Si quis casu hominem occidit, quadraginta diebus pane & aqua jejunabit, quibus expletis, per annos duos a Fidelibus sejunctus orabit, non oblationem ad altare offeret, neque communicabit: post annos duos ad communionem orationis cum aliis Fidelibus accedet, oblationem offeret, sed Eucharistiam non suscipiet: post quinque annos ad Eucharistiam accedet, & juxta Presbyteri judicium jejunabit (*Pœnit. Rom. c. 3. Burc. l. 6. c. 16.*).

Qui homicidio consenserit, septem annis pœnitentiam ager, tribusque hebdomadæ diebus pane & aqua jejunabit: quod si pœnitentiam hanc subire nequeat, tribus tantum annis jejunabit (*Pœnit. Rom. tit. 1. c. 17.*).

Si quis aliquem feriat, aut mutilet, per annum pœnitentiam ager, tribusque in hebdomada diebus jejunabit; quod si magna sit cicatrix, quæ vulneratum deformem reddat, quadraginta diebus pane & aqua jejunabit (*Pœnit. Rom. t. 1. cap. 23. Burc. lib. 19.*).

Pœnæ canon. cont. quinti præcepti Sc. 95

Si quis aliquem percuriat, nec grave illi malum inferat, tribus diebus pane & aqua jejunabit: quod si Clericum percusserit, sesquianno pœnitentiam agat (*Pœnit. Rom. tit. 4. c. 19.*).

Si quis ex ira alium mutiler, post solutas medici expensas, si laicum mutilavit, quadraginta diebus pane & aqua jejunabit; si Clericum, duabus quadragenis; si Diaconum, septem mensibus; si Presbyterum, per annum (*Pœnit. Rom. t. 1. c. 13.*).

Si Episcopus homicidium committat, quindecim annis pœnitentiam agat; a dignitate sua deponatur, & vitam suam peregrinando transigat; si vero Presbyter homicidium committat, duodecim annis pœnitentiam agat, quorum quatuor pane & aqua jejunet; si autem Clericus inferior, septem annis pœnitentiam agat, quorum tribus pane & aqua jejunet (*Pœnit. Rom. tit. 2. c. 16. Ans. l. 11. c. 33.*).

Si quis cum proximo suo, adversus quem aliquid habet, reconciliari renuit, pane & aqua jejunabit, donec cum illo reconcilietur (*Burcard. lib. 10. cap. 6.*).



SECTIO



SECTIO III.

DE

SEXTO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAPUT I.

Luxuriæ notio & species.

Sexto Præcepto *Non mœchaberis*, luxuria, seu inordinatus venereorum appetitus & usus prohibetur. Sub re autem venerea quælibet carnalis voluptas intelligitur, quam homo extra matrimonii statum vel secum ipso, vel cum alia persona capere potest, omnesque impuritatis species complectitur.

Sex luxuriæ species jam supra (Tom. I. pag. 266.) ex Doctore angelico sunt enumeratæ, videlicet simplex fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, raptus, & peccatum contra naturam, quibus passim sacrilegium adnumeratur.

Fornicatio simplex est concubitus hominis a matrimonio soluti cum pariter soluta jam aliunde corrupta. *Stuprum* est concubitus cum puella nondum corrupta seu virgine. *Adulterium* est concubitus cum uxore alterius, vel cum persona conjugata. *Incestus* est concubitus cum persona consanguinea. *Raptus* est violenta mulieris abductio explendæ libidinis causa. *Sacrilegium*

legium est concubitus cum persona Deo sacra. Peccatum contra naturam est frustratio humani seminis. Triplex est, nimirum *Mollities* quæ est voluntaria pollutio proprii corporis: *Sodomia*, quæ est copula cum persona ejusdem sexus, vel diversi in vase indebito; & *Besialitas*, quæ est concubitus cum bruto.

Meretricium, & concubinatus novas luxuriæ species non constituunt, malitiam tamen valde augment, alteriusque speciei deformitatem sæpius sibi adjunctam habent. *Meretricium* enim in turpi quæstu consistit, quem effrons mulier sui corporis usum viris præbendo exercet, illosque nutibus, verbis ac factis captiosis veluti Dalila Samsones ligat. *Concubinatus* nihil aliud, quam meretricii, vel fornicationis consuetudo est cum eadem persona continuata, ex qua non modo infinita luxuriæ peccata, sed plurima insuper scandala, aliaque absurda sequuntur.

De singulis, quæ prius recensui speciebus pauca quædam dicam; christiana siquidem modestia postulat, ut caute admodum, ac parce loquar; cumque vernacula scribam lingua (*gallice* enim scripsit Auctor), plura vix ausim attingere, quæ pravas in Lectore cogitationes creare possunt, nec tamen omnino sunt prætermittenda. Generatim igitur peccata commemorabo, quibus præceptum hoc violari potest; sed modos particulares non recensabo. Quemadmodum enim Confessarios docendos esse arbitrator, ita Lectorum pudori parcendum; nec effingendos esse casus, qui fere numquam contingunt,

gunt, vel quorum patet turpitudine ex ipsamet naturali honestate, vel ex puritate, quam sectari Christianus debet, quin pudendum instituat examen, quod cum ex phantasie vitio, tum ex cordis corruptione proficiscitur.

C A P U T II.

Abominabilis Mollitiei, Sodomie & Bestialitatis malitia.

Mollities seu voluntaria pollutio actio est ex se mala, ideoque a Deo prohibita, 1. quia nature legi repugnat, quæ propterea homini semen tribuit, ut eo ad generationem propriæque speciei conservationem uteretur, 2. quia christiani corporis per Baptismum sanctificati puritatem violat, 3. quia concupiscentiam sectatur, cui numquam, ut ostendimus, obedire licet.

Hæc aut voluntaria est, aut involuntaria. *Voluntaria*, cum quis ad illam seipsum excitat, aut ab alio provocari patitur; vel cum ea peragit, ex quibus oritur pollutio, veluti si oscula det aut accipiat, si calidis nimium cibus utatur, si tali modo cubet, si libros obscenos legat, aut impudicas picturas, turpiaque alia objecta aspiciat: mortale hoc est, & contra naturam peccatum.

Involuntaria est pollutio, quando ex nature infirmitate evenit, aut ex morbo, aut ex aliqua actione in se licita, vel indifferenti, veluti equo, aut lectica vehi: si Confessiones audiendo, aut libros

libros legendo studii causa, qui de luxuriæ peccatis agunt, in pollutionem quis incidat, nec mortale, nec veniale peccatum committit; & Confessarius, qui confessiones audiens in pollutionem absque sua culpa laberetur, non teneretur hoc exercitium relinquere, si proximo esset utilis, aut ad illud ex suo officio teneretur.

Quæ in somno evenit pollutio non est peccatum, si nulla illi ante somnum voluntarie datur occasio: dolendum tamen de illa est, veniaque a Deo petenda, si forte culpa aliqua adfuit.

Casuistæ quidam docent, licitum esse pollutionem desiderare aut propter sanitatem, aut ne tam molestas carnis tentationes patiamur, dummodo carnalis delectatio non quærat. Verum ego existimo vehementer periculosum esse hoc desiderium, fieri siquidem vix potest, ut carnalis delectatio se cordi non inferat, dum in corpore dominatur.

Pollutionem procurare non licet, etiamsi ad vitæ conservationem Medici illam consulerent aut juberent; neque medicinam sumere licet, quæ eandem excitet.

Quis Caramuelis opinionem ferat, qui expresse docet, pollutionem ideo solum esse peccatum, quia a Deo prohibetur; ex se vero malam non esse, sed seclusa Dei prohibitione bonam interdum fore, adeo ut mortaliter peccaret, qui ipsam non procuraret? Propositionem adeo turpem tueri potest, non dicam Christianus Doctor, sed honestus homo? Honestus Ethni-

cus illam detestaretur: ipsique impudici, qui in hasce turpitudines labuntur, earum turpitudinem agnoscunt, & erubescunt, nec ista palam patrare audent. Mollities, ut diximus, legi naturæ adversatur: quomodo igitur naturæ utilis esse umquam potest, cum naturam ipsam destruat, ac vituperet? Hæc hominem infra belluas collocat, quæ numquam seipsas polluant, suoque semine ad generationem dumtaxat utuntur. Si ex sola Dei prohibitionem mala esset pollutio, nationes illæ, quibus positiva hæc lex non innotuit, illam exercendo non peccassent; neque hodie peccarent, qui hanc prohibitionem ignorant, veluti populi, qui Evangelii prædicationem numquam audierunt. Perperam vero asseritur, nihil distare si quis propter actionem ex se malam damnetur, vel propter actionem ex Dei prohibitionem malam; sic enim vitiorum turpitudine minuitur, quam non ex eorum natura metiamur, sed ex Dei tantum voluntate, qui ea prohibet. Conscientiæ syntheresim satis est audire, ut pollutionis malitia cognoscatur. Se celant, qui hoc peccatum committunt, eosque admissi criminis pudet. Nonne hi stimuli a natura ipsa excitantur, quæ tale opus prohibet?

Quemadmodum in speculativis, ait sanctus Thomas, pessimus error est illarum rerum, quas hominem natura docet, veluti Dei existentiam; ita in moralibus turpissime, pessimeque errat, qui naturæ legibus adversatur. Porro in mollitie fini, legique naturæ ille adversatur, qui semine ad generandum a natura instituto abutitur.

tur. Quisquis igitur id agit, peccat; ipsaque actio est ex se mala, quia naturæ legi adversatur.

Propter hanc ipsam rationem detestabilis est sodomia; etenim, inquit sanctus Augustinus: *Deus non sic fecit homines, ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet; cum eadem natura, cujus ille auctor est, libidinis perversitate polluitur.*

Nihilo tamen minus Apologiæ Casuistarum Auctor infra triginta argenteorum furtum hoc peccatum collocat, quod nec nominare licet, propter quod integræ olim urbes ignis sulphurisque imbre deletæ sunt, & quod civiles quoque leges igne puniunt. Credi vix potest christianum Auctorem in tam enormem errorem esse prolapsum; magisque adhuc mirandum est illum voluisse hunc errorem tueri auctoritate sancti Thomæ, qui non minus propter doctrinæ suæ in hoc argumento puritatem, quam propter suam in cæteris Theologiæ Tractatibus sublimitatem Angelicus est Doctor. Peccatum, inquit Apologiæ Auctor, eo est gravius, quo excellentiori virtuti opponitur; sed iustitia, cui furtum opponitur, excellentior est quam temperantia, cui omnes luxuriæ species opponuntur: ergo furtum triginta argenteorum gravius est quam sodomia, quia illud excellentiori virtuti opponitur. Heu quæ rationis perversio! quæ impudentia! Ea regula, quam in prima sua propositione hic Auctor tradit, non est physice & sine limitatione accipienda, ex ipsa enim detestabiles consequentiæ promanarent. Cæteroque

peccatum veniale, quod excellentiori virtuti opponitur, gravius mortali peccato esset, quod virtuti illi non opponeretur. Hinc unius aurei furtum, quod in communi sententia peccatum est mortale, gravius esset bestialitate, aut incestu cum matre sua commisso. Quamobrem peccatorum enormitas metienda est ab aversione a lege Dei æterna, a naturæ lege, a peccantis statu, a damnis quæ inde Reipublicæ eveniunt, & ab aliis circumstantiis. Quæ omnia si perpendantur, quis abominandam hanc Apologiæ propositionem tueri audebit, quam jure meritoque dampnarunt sancta Sedes, Episcopi, & Parisiensis Theologiæ Facultas (a).

Eadem cæcitate obruti Casuistæ quidam docent, illum, qui in sodomiam aut bestialitatem lapsus sit; non teneri hæc peccata in specie confiteri; sed sufficere si dicat, se contra castitatem peccasse, aut in pollutionem lapsum fuisse (b). Nonne hoc pacto salutaris illa confusio a Confessione repellitur, qua turpitudinem suam debent pœnitentes deslere? Nonne Sacramenti destruitur integritas, quæ in libera & perspicua peccatorum suorum declaratione consistit

(a) *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali. Est damnata ab Innocentio XI. num. 49.*

(b) *Mollities, sodomica, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem. Est 24ta inter damnatas ab Alexandro VII.*

stet (a)? Nonne horror ille minuitur, quem secum afferunt actiones illæ, quas tegere quærimus? Verum in hisce confutandis nimium immoror; pulchraque illa sancti Augustini verba, quamvis in alio argumento ab eo prolata, usurpare posse mihi videor, videlicet: *Pudet me*

(a) Mollitiei vitium ubi semel radices egit, non nisi vi magna evellitur. Juvenes plurimi, imo & senes, quia raro aut numquam serio admonentur, nec debitis præfidiis muniuntur, multis annis immerfi voluptatibus vivunt. Ut igitur Confessarius rite suo munere fungatur, ante omnia in hujus peccati causam, occasionem, aliasque temporis & loci circumstantias investigare debet, tuncque non generica, sed specialia, hisce causis, ac circumstantiis accommodata remedia præscribere. Sic si e. g. lectus aut nocturna quies tentationem excitet, pœnitenti injungendum. 1. Ut priusquam cubitum eat, Crucifixi imaginem amplectatur, exosculetur, seque brevibus & amorosis suspiriis in Sacratissimum ac patens Jesu latus recondat. 2. Ut decumbens ob Dei, & Angeli custodis præsentiam honestum corporis situm servet, & lateri sive dextro, sive sinistro incubando manus supra pectus crucis in formam collocet. 3. Ut tardante morptheo accepta interdum divina beneficia gratus recogitet, ac Dei bonitatem magnificans tandem indormiat. Si vero campus, sylva, officina huic peccato ausam præbeant, simile circa Crucem exercitium de mane erit suggerendum tum certa in procinctu ad talem locum oratio, viva Div. Præsentia apprehensio, ac tandem salutaris instantis mortis, & judicii timor; cujusvis turpitudinis abominatio, castitatis, ac munditiæ summa æstimatio, tepiditatis fuga, ac sacri fervoris persecutio

me ista refellere, cum eos non puduerit ista sentire. Cum vero ausi sint etiam defendere, non iam eorum, sed ipsius humani generis me pudet, cuius aures hæc ferre potuerunt.

C A P U T III.

Stupri, Incestus, & Raptus gravitas.

Adeo pretiosa res est virginitas, ut stuprum, quod illam aufert, ingens sit peccatum. Præter fornicationis malitiam, duas insuper peculiare malitias peccatum hoc continet. Prima in eo sita est, quod virginale puellæ sigillum violat; secunda in eo, quod illam periculo exponit in impudicitia, in quam semel lapsa est, perseverandi.

Qui puellam vi aut importunis precibus violavit, illam ducere, aut dotare tenetur, ut in honestum matrimonium collocari possit, si inferioris sit conditionis. Si puella neque verbis decepta, neque ad peccandum vi sit adacta; oporteret nihilominus, ut illam stuprator dotaret, atque ad id cum ex caritate, tum ex iustitia adigitur (a).

In

tio sunt inculcandæ. Porro benignius cum his, quam cum illis qui occasiones foris quærunt, in confessionali esse agendum jam supra diximus.

(a) Stuprator puellæ in copulam libere consentienti juxta communiorem sententiam nihil ex iustitia, sed ad summum quidquam ex caritate debet; quia scienti & volenti nulla fit injuria. Si tamen puella sub parentum adhuc cura degat, propter

In incestu consanguinitas magis attenditur, quam affinitas; & in consanguinitate quo gradus est proximior, eo peccatum est gravius. Hinc gravius peccatum est cum matre peccare quam cum sorore; gravius quoque cum sorore quam cum

propter specialem injuriam parentibus illatam, & dedecus ex stupro familiæ accrescens ad veniæ petitionem, & damnorum reparationem impurus violator adfingetur. Porro, qui sub matrimonii promissione, etiam ficta, virginem defloravit, fictioni sinceram promissionem substituere, eamque adimplere tenetur, quia dolus & fraus iniquis patrocinari nequeunt, huicque obligationi nec arbitraria dotatione, nec Religionis ingressu satisfieret. Sunt tamen casus, quibus puellæ seductor promissas nuptias exequi non tenetur, & quidem 1. Si illa prior fraudem commisit, virginem, nobilem &c. se fingendo, qualis non est. 2. Si ex verbis, aliisque circumstantiis uti nimia conditionis inæqualitate &c. promissoris fictionem ipsamet advertere facile potuisset. 3. Si puella postea cum alio fornicetur. 4. Si gravia ex nuptiis secutura inconvenientia timeantur. 5. Si promissor cum alia de præsentibus contrahendo, vel sacros Ordines suscipiendo illicitum interim impedimentum posuit, quo minus corruptæ nubere possit. 6. Si puella ipsa nubere recuset, aut parentes eandem tradere nolint. In prioribus casibus nuptiarum loco dotem: in postremo neque hanc puellæ recusanti Auctores adjudicant; quia non dotem, sed matrimonium stuprator promisit. *Imputari namque non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum erat faciendum (Reg. 41. in 6.)*. Stuprum violentum gravissimum est peccatum, plerisque in Provinciis capitali pœna plectitur.

cum amita; gravius item cum amita quam cum consobrina.

Incestus est matrimonii impedimentum, nisi adsit dispensatio; attamen consummatum matrimonium non dirimit, quantumvis ejus ulum impediatur, incestuosus enim conjux jus perendi conjugale debitum amittit, donec dispensationem obtineat, quam concedere potest Episcopus; debitum tamen reddere potest parti petenti.

Raptus a cæteris luxuriæ speciebus distinguitur dumtaxat propter vim, quæ inferitur aut mulieri, aut puellæ, aut patri, aut marito, si rapta mulier virum habeat. Tridentinum Concilium decernit inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a rapto separata, & in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare (*Sess. 24. cap. 6. de Ref. matr.*) (a).

CAPUT

(a) Raptus, qui luxuriæ est species, cum rapto matrimonii impedimento, confundi omnino non potest. Hic enim in violenta puellæ, in uxorem

CAPUT IV.

Fornicatio simplex lege naturali est
prohibita.

Fornicationem simplicem esse malam Ethnici non putabant; nonnullique Auctores existimarunt, illam fuisse peccatum tantummodo post Hierosolymitani Concilii prohibitionem, cum Apostoli fidelibus præceperunt, ut a fornicatione abstinerent (a). At certum est etiam in veteri lege

rem ducendæ, abductione consistit, etiamsi venereus actus intercesserit nullus: ille vero explendæ libidinis causa contingit, nec semper matrimonii contractus aut promissio ei jungitur; utut sæpe ambo simul concurrant.

(a) Opinionem istam e Christiadum scholis eliminatam voluit Innocentius XI. hanc num. 48. damnans propositionem: *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Huic addi potest alia ab Alexandro VII. reprobata: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Est num. 25. Qui cum eadem persona frequenter fornicatur, licet eam sua in domo continuo non habeat, concubiniarius dicitur, nec prius absolvi potest, quam pellicem dimiserit; Unde & hanc idem Alexander prohibuit: *Non est obligandus concubiniarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & alicæ epulæ tædio magno concubinarium affice-*

lege fuisse a Deo expresse prohibitam; etenim Deuteronomii capite vigesimotertio sic legimus: *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel: & capite vigesimo secundo: Si non est in puella inventa virginitas, eijcient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur: quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui; & auferes malum de medio tui.*

Sanctus Thomas docet, simplicem fornicationem naturaliter esse prohibitam, quod ita probat: *Peccatum mortale est omne peccatum, quod committitur directe contra vitam hominis. Fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui est ex tali concubitu nasciturus. Videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem proles requiritur cura maris & semine,*
quod

afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur. Num. 41. Hic quoque notanda alia propositio ab Innocentio proscripita: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin ino directe & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Est num. 61. Nonnullas huc spectantes jam supra (*Part. I. pag. 226.*) adduximus. Remedia contra fornicationis spiritum suppetitata Parte eadem (*pag. 270. & seq.*) vide. Hoc loco solum animadvertere Confessarius debet, ne umquam impurum expellere spiritum nitatur, antequam acedioso tepori, quo plerique fornicarii, ac concubinari laborant, mederi sategerit. Compendiosam curationis methodum Parte I. (*pag. 288.*) invenies.

quod in eis non est vagus concubitus. Manifestum est autem, quod ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multo magis cura patris, a quo est instituentus, & defendendus. Et ideo contra naturam hominis est, quod utatur vago concubitu. Et inde est quod naturaliter est maribus in specie humana sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis. Hæc autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus. Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter provideat proli de educatione; quia id, quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundum id, quod communiter accidit, & non secundum id, quod in aliquo casu potest accidere (2. 2. quæst. 154. art. 2.).

Porro etsi naturæ lege non esset prohibita fornicatio, evangelica tamen lege prohibetur. Ideo Apostoli in primo Hierosolymitano Concilio hanc prohibitionem pro fidelibus renovarunt.

Fundamentalis ratio est, quia Christiani per Baptismum Dei & Spiritus sancti templum sunt; inquit enim sanctus Paulus: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis (1. Cor. 3.)?* Templi hujus sanctitatem violat fornicatio; ideo mala est, tantumque mala, ut subdat Apostolus: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*

Neque solum Dei & Spiritus sancti templum sunt Christiani; verum etiam corpus & membra Christi.

Christi. Idcirco Apostolus, ut fornicationis enormitatem declararet, ait: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis?* Præcipuus Christiani honor profecto est corporis Filii Dei membrum esse. Numquidnam ergo tam sancto corpori, tam sanctis membris atrociorē inferre potest injuriam, quam si meretricis membra faciat? *Si ergo unusquisque (inquit sanctus Augustinus) cupiens fornicari vilescat sibi, & in se contemnat seipsum, saltem non in se contemnat Christum. Non dicat, Peccabo, infirmus sum, & omnis caro est fanum; sed dicat sibi, Corpus tuum est membrum Christi. Quo ruis, quo te præcipitem conjicis? Parce in te Christo, agnosce in te Christum. Parum illi fuit fratres suos nos facere; fecit & sua membra. Itane tanta dignitas viluit, quia tam benigne præstita est? Corpora nostra membra sunt Christi: corpora nostra propter inhabitantem Spiritum sanctum templum sunt Spiritus sancti. Quid horum in te contemnis? Christum, cujus membrum es, an sanctum Spiritum cujus templum es? Christianorum nemo non exhorrescat, si videat pollui Ecclesiam, quæ ædificium est lapidibus constructum, & Episcopi benedictione Deo consecratum; non autem in seipso polluere verebitur Dei templum, quod & Baptismi sacramento, & Spiritus sancti unctione consecratum est?*

Ut sacrilegii hujus magnitudinem declaret Apostolus, ait: *Omne peccatum, quodcumque*
feci-

7. Fornicatio simplex legi naturali &c. III

fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (1. Cor. 6.). Græcus textus habet: εἰς τὸ ἴδιον σῶμα, in proprium corpus, quod emphasim majorem continet. Peccata alia quædam corpus pariter de honestate videntur, veluti ebrietas; sed nullum æque animum opprimit, mentemque excæcat, ac fornicatio. Luxuriæ vis ea est, ut corpori spiritus misceatur, illique adhæreat, quasique fiat corporeus, & ad sua obeunda munera ineptus: ejus lumen pene est extinctum, nihilque jam præter peccati sui actum cogitare potest: quod in nullo fere alio peccato contingit, cætera liquidem in ipso etiam peccandi actu menti permittunt, ut alia simul cogitet.

Tamquam Christi membra fideles ejus carne in Eucharistia vescuntur; & qui eorum est vita, cibus etiam est in hoc Sacramento. Quid autem divino huic cibo adversum magis esse potest, quam fornicationis sordes? Hanc igitur veluti summum malum, quod ipsi obvenire possit, fugere debet Christianus juxta præceptum Apostoli: *Fugite fornicationem. Corpus non fornicationi, sed Domino. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro (1. Cor. 6.). Fornicatio autem, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos (Ephes. 5.).* Sanctum est Christiani corpus, & membrorum suorum usus sanctus esse debet; ejus propterea lingua turpia verba non debet loqui, multoque minus totum suum corpus impuritatis actum ullum patrare.

CAPUT

CAPUT V.

Adulterii malitia, ac damna.

Adeo Reipublicæ bono inimicum est adulterium, ut nulla sit natio tam barbara, quæ gravibus illud suppliciis non punierit. Adulteros Ægyptii mille flagri ictibus multabant, adulterisque mulieribus nasum amputabant. Omnibus permisit Solon, ut hominem in adulterio deprehensum occiderent. Adulteram antiqui Saxones cogebant, ut se laqueo suspenderet, & in ardentem rogam coniectam una cum adultero cremabant. Leges severissimas in adulteros Romani Imperatores ediderunt. Aurelianus adulteros manibus pedibusque duarum arborum ramis vi simul junctis ligari jubebat, ut dissidentibus postea invicem ramis illi medii secarentur. Cum novus Orbis detectus est, nulla reperta est natio, quæ adulterium non abominaretur, nec morte puniret. Verum, ut ait sanctus Augustinus: *Non ideo adulterium malum est, quia vetatur lege; sed ideo vetatur, quia malum est* (de liber. arbitr. lib. I. capit. ultim.).

Hoc peccato civilis turbatur societas, pueros enim familiis inferit, qui illorum non sunt filii, quibus tamen succedunt: inter maritum & uxorem concordiam adulterium solvit: maritos sæpe ad occidendas uxores impellit, uxoribusque persuadet, ut viris suis necem parent; exemplaque hæc tragica quotidie intuemur. Prima naturæ lex hæc est: *Quod tibi fieri non*

vis

vis, alteri ne feceris. Quis autem maritus
thorum suum violari cupiat? Quomodo igitur
alterius thorum audeat violare? A mundi ori-
gine Deus matrimonium instituit, tamquam
sanctam viri & mulieris ad gignendos liberos
conjunctionem. Adest, (inquit sanctus Ambro-
sius) *præsul conjugii Deus, quem nihil lateat,*
nullus evadat, nemo irrideat. Vicem absentis
mariti tuetur, servat excubias, imo sine excubiis
deprehendit reum, antequam faciat, quod parave-
rat; in animis singulorum, in mentibus univer-
sorum omnem agnoscit: Et si maritum adulter
sefelleris, non falles Deum; Et si maritum eva-
seris, Et si fori iudicem luseris, non evadis Ju-
dicem totius mundi.

Horribile præcipue crimen est adulterium
apud catholicos, qui credunt matrimonium esse
juxta Apostolum *magnum Sacramentum in*
Christo, Et in Ecclesia (Ephes. 5.). Græcus
textus, qui habet *εις Χριστόν, και την εκκλησίαν,*
in Christum, Et in Ecclesiam, rationem magis
explicat, propter quam magnum est hoc Sacra-
mentum, videlicet, quia viri & uxoris conjun-
ctio divinam Christi & Ecclesiæ conjunctionem
significat; hinc abominandum opus est, quod
hujus figuræ puritatem corrumpit. Quamob-
rem cathecumenos alloquens sanctus Ambrosius
ait: *Discite, qui ad gratiam baptismatis tendi-*
tis, velut quidam fidei candidati, continenticæ
disciplinam sobriam: nulli liceat scire mulierem
præter uxorem. Ideo conjugii jus tibi datum
est, ne in laqueum incidas, Et cum aliena mulie-
re

Godean Theol. Mor. Pars II. H re

re delinquas. Quomodo uxoris incontinentia cum extraneis licebit, cum hæc inter ipsos verita sit? sanctus enim Augustinus intemperantem maritum uxori suæ quodammodo adulterum esse affirmat. Duobus primis Ecclesiæ sæculis ad publicam pœnitentiam adulteri non admittebantur, tantus tunc erat peccati hujus horror. Propterea vero a catholica Ecclesia magnus Tertullianus descivit, quia ævo suo adulteros ad pœnitentiam Zephirinus Papa admisit.

Plurimum hominum mentem deplorandus error occupat, videlicet leve a marito peccatum committi, si adulteret; enorme vero ac severe puniendum ab uxore patrari, si mœchetur. Diligenter igitur doceant Parochi, dum Præceptum hoc explicant, nullum maritum inter & uxorem quoad hoc peccatum esse discrimen, atque amborum æqualem esse obligationem sibi invicem fidem servandi, Deumque contra violatores æque esse animadversurum. Egregie sanctus Augustinus de hoc argumento differens ait: *Sed cum eis dicimus, non solum nihil volunt detrudere severitati, sed irascuntur insuper veritati, & loquuntur atque respondent. Sed nos viri sumus. An vero sexus nostri dignitas hanc sustinebit injuriam, ut, cum aliis feminis præter uxores nostras si quid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quasi non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frænare, quia viri sunt: quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis hujus exemplum se præbere, quia viri sunt:*

quasi non propterea minus debeant lascivienti car-
ni servire, quia viri sunt. Attamen indignantur,
si audiant adulteros viros pendere similes adulteris
fæminis pœnas, cum tanto gravius eos puniri
oportuerit, quanto magis ad eos pertinet virtute
vincere, & exemplo regere fæminas? Christia-
nis equidem loquor, qui fideliter audiunt: Caput
mulieris vir. Ubi se agnoscunt duces, illas au-
tem comites esse debere. Et ideo cavendum viro
illuc ire vivendo, qua timet, ne uxor sequatur imi-
tando (de adult. conjug. cap. 8.).

Idem sanctus Doctor Imperatoris Antonii
legem postea affert, quæ prohibet, ne maritus
uxorem adulterii accuset, si ipse adulterandi eam
præbuit exemplum, ostenditque quam justa sit
illa lex, inquit: *Habebunt autem ante oculo-*
los inquirere, an, cum tu pudice viveres, illi quo-
que bonos mores colendi auctor fuisti. Perini-
quum enim mihi videtur esse, ut pudicitiam vir ab
uxore exigat, quam ipse non exhibet. Deinde
subdit: Non igitur exhorreant viri, quod adul-
teræ Christus ignovit, sed potius cognoscant
etiam periculum suum, & simili morbo laboran-
tes ad eundem Salvatorem supplici pietate confu-
giant; & quod in illa factum legunt, etiam sibi
necessarium esse fateantur: adulteriorum suorum
medicinam suscipiant; adulterare jam desinant;
laudent in se Dei potentiam, agant pœnitentiam,
sumant indulgentiam, mutent de pœna fæmina-
rum & de sua impunitate sententiam.

CAPUT VI.

Adulterii pessimæ sequela.

Novi quidam Casuistæ docere ausi sunt, adulterium nullum committi, si consentiat maritus, ut uxor sua cum altero concumbat; adulterium enim, ajunt, proprie est juris usurpatio, quod ad maritum spectat, & quod alteri cedere potest: hinc cum marito consentienti nulla fiat injuria, peccatum hoc simplex est fornicatio (a). Hæc doctrina damnatur ab Evangelio, ab omnibus sanctis Patribus, a cunctis Canonibus, civilibusque Legibus, ubi nusquam hæc reperitur distinctio. *Mulier* (ait sanctus Paulus 1. Cor. 7.) *sui corporis potestatem non habet, sed vir*; quæ illi potestas a Deo est tradita, ut illa ad humani generis propagationem utatur, vel in suæ concupiscentiæ remedium, quam propterea potestatem alteri nullo pacto cedere potest. Etenim hominum propagatio ea lege facienda est, quam Deus statuit, nimirum a personis matrimonio junctis, quæ conjunctione hac non solum filios gignant, sed etiam recte alant, pieque instruant. Adulterium etsi a marito permissum huic fini opponitur, æque ac fornicatio; etenim pueri, qui inde nascerentur, desererentur a marito, qui, an sui essent, ignoraret. Nec interim maritus concupiscen-

(a) *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium: adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum. Est 50ma. inter damnatas ab Innocentio XI.*

cupiscentiam suam extingueret, sed illius, cui uxorem suam cedit; ipse vero ad aliam sibi quærendam sceminam a concupiscentia sua teneretur. Nec ista juris sui cessio efficeret, quin Sacramenti sanctitas violaretur; ac proinde speciale peccatum fieret fornicatione simplici enormius. Expresse id tradit sanctus Thomas hæc Ecclesiastici verba explicans: *Omnis mulier relinquens virum suum peccabit* (2. 2. quæst. 44. art. 8.). Verum quæstionem hanc decidit Ecclesia speciales pœnas statuens in maritos, qui uxoribus suis mœchari permittunt. En Canones: *Uxor conscio viro mœchata, nec in obitu quidem communicabitur. Si quis conjugem fornicari consenserit, diebus omnibus vitæ in pœnitentia erit, arbitrio prudentis Sacerdotis.* Has enim tam severas pœnas Ecclesia non statuit, nisi ob adulterii enormitatem; levioribus siquidem pœnis fornicationem simplicem punit. Ista novorum Casuistarum opinio familias turbat, dum illegitimos illis hæredes injuste inserit: maritatam mulierem cum illis bonis collocat, quæ potest possessor pro libitu alteri cedere: adulterio peculiarem malitiam eripit, propter quam amplius mulierum odium meretur, & ab aliis luxuriæ speciebus distinguitur. Denique civiles leges mulierem adulterii convictam male punirent, quando adulterio suo maritum consensisse probare posset.

Inter majora mala, quæ ex adulterio pro-
manant, illud est, filios legitimos a successione
sibi debita repellere, ut spurii ipsa tradatur:

H 3

cui

cui malo difficillimum est mederi. Id enim fieri nequit, quin crimen suum mulier detegat, quod vix ulla facile præstabit; & pauci admodum casus sunt, in quibus adultera crimen suum fateri teneatur.

Docent communiter Doctores, si mulier specialia bona possideat, de quibus possit dispo- nere, filiis legitimis hæc esse tribuenda, ut illatum illis damnum sarcatur. Alii docent, de- bere ipsam illegitimis liberis persuadere, ut Religionem aliquam ingrediantur: id vero intelligendum est de simplici exhortatione, non de vi, neque de re ulla, quæ vim sapiat. Si manuum suarum opere, & labore potest aliquid acquirere, hæredibus hinc satisfaciat, qui successione jacturam patiuntur. Auctores aliqui, veluti Sotus, Hadrianus, & Major dicunt, teneri ipsam crimen suum patefacere, si hæreditas infamiam superet, aut æquet, attenta conditione personæ, quæ tam vilis esse potest, ut nulla ejus habenda sit ratio. Innocentius, Panormitanus, Hostiensis, Gabriel, Sylvester, alique Theologi docent, si mulieris vita in discrimen adducatur, ipsam non teneri crimen suum patefacere; adduntque, si de ingenti hæreditate ageretur, veluti de successione ad Principatum, teneretur ipsa etiam cum vitæ discrimine crimen suum detegere. Adultera honorem suum mœchando vere amisit, ut Theologi illi ajunt. Nonne igitur æquum est, ut coram hominibus infamis ipsa evadat? An vero ut infamiam publicam evitaret, licitum ipsi foret

Divortium parti pars adultera &c. 119

Principatum, vel ingentem hæreditatem legitimis hæredibus eripere? Nonne publica utilitas privatæ debet anteferri? Si vero mulierem criminis sui vere pœniteat, privatamne infamiam suam tanti æstimet; an contra eandem humiliter ferat?

Adulterinus filius credere non tenetur matri suæ, quæ ipsum illegitimum asserat; si vero illi credat, hæreditatem debet restituere, exceptis fructibus bona fide consumptis.

Idem restitutionis onus, quod adulteræ; adultero etiam injungitur, qui hæredibus, aut marito expensas pro alendis spuriiis factas debet restituere. Quod verum est, si adulter certus sit spurios fuisse a se genitos; nam si dubitaret propter matris infamiam, quæ cum pluribus solita fuit peccare, restituendi onere adulter levaretur.

Si mulier, aut vir pueros suos Hospitali tradat, ubi alantur; tenentur alimentorum expensas Hospitali restituere.

At tam ægre hæ sunt restitutiones, ut vix unus aut alter easdem præstet. Sarius igitur est hoc vitare peccatum, quod mala gignit, quibus mederi vix aliquis potest.

C A P U T VII.

Divortium parti pars adultera tenetur.

Divina lex, quæ a maritis adulteras uxores occidi prohibet, eas dimittere, & quoad habitationem ab iis recedere viris permittit. Id

H 4

ex

expresse tradit Christus apud sanctum Matthæum: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæcham; Et qui dimissam duxerit, adulterat (cap. 5.)*. Duo nos docet hic textus: primo, fornicationis causa, idest propter uxoris adulterium licere marito illam dimittere: deinde, quamvis ex hac causa uxor sit dimissa, qui illam ducit, adulterat; ex quo inferitur matrimonium quoad vinculum subsistere, non enim sine matrimonio adesse potest adulterium. Hanc exceptionem sanctus Marcus & sanctus Lucas non afferunt. Sanctus Marcus absolute dicit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, Et aliam duxerit, adulterium committit super eam; Et si uxor dimiserit virum suum, Et alii nupsit, mæchatur (cap. 10.)*. Apud sanctum Lucam Christus ait: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, Et alteram ducit, mæchatur; Et qui dimissam a viro ducit, mæchatur (cap. 16.)*. Hinc Doctores nostri adversus hæreticos recte inferunt, propter adulterium matrimonii vinculum non solvi, sed tantummodo divortium permitti.

Moderni hæretici asserunt, adulterio matrimonium dissolvi; sed hic quoque ipsorum erroribus enumeratur. Contra Ecclesia in Tridentina Synodo congregata docet esse *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum (Sess. 24. cap. 1.)*; additque adversus hæreticos: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, Et docet, juxta evangelicam Et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimo-*

nii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit; & eam, quæ dimisso adultero alii nupsit; anathema sit. Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit (can. 7. & 8.).

Divortii propter adulterium faciendi facultas par est in viro, & in uxore, quamvis rarius uxor a marito divortium petat. De utroque Apostolus Paulus loquitur inquiens: *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, & vir uxorem non dimittat* (1. Cor. 7.) idest sine legitima causa. Sanctus Hieronymus, sanctus Augustinus, & Innocentius I. idem docent, quos ingens Doctorum numerus sequitur, nec in hoc ulla adest præscriptio.

Divortium quoad thorum absque judicis sententia fieri potest; verum pro divortio quoad habitationem requiritur sententia, quia hæc est causa publica, quæ scandalum creare potest, nisi constet de adulterio.

Quatuor autem ex causis non permittitur divortium propter adulterium: 1. Si adulterium absque peccato fuit commissum, veluti cum femina per vim violatur, vel cum alio coit, quem maritum suum putat, vel cum maritum mortuum putans iterum nubit. 2. Si utrique, ma-

ritus videlicet & uxor, ejusdem criminis rei sunt. 3. Si postquam adulterium novit, maritus cum uxore concubuit. 4. Si maritus uxorem prostituit; hoc enim casu maritus ipse adulterii fit reus. Si vero uxor mariti sui adulterio esset consentiens expresse, propter eandem rationem divortium facere non posset: sed si solum non impedit, suum ipsi jus manet, quia uxor viri sui peccata arguere non audet, nec debet utpote inferior corrigere. Propterea uxoris silentium pro consensu haberi nequit.

Si uxorem maritus a se repulisset, atque alimenta eidem negaret, illa vero adulterium deinde committeret; posset nihilominus maritus divortium facere, cum nulla paupertas hoc crimen possit excusare: excipe, si maritus talia eam pati voluisset, ut ad peccandum impelleret; hoc enim casu divortium petere non potest (*D. Thom. in 1. ad Cor. art. 7.*).

Alterutrius conjugis sodomia jus pariter ad faciendum divortium præbet; abominandum enim hoc peccatum conjugum carnem dividit, & matrimonii fidem, sanctitatemque violat: hæc ratio est (inquit sanctus Thomas *qu. 4. dist. 95.*) quæ proprie divortii faciendi jus tribuit, magis quam pœnalis lex, qua Canones adulterium puniunt. Idem docent sanctus Hieronymus, Theologi plerique, & Casuistæ meliores. Idem quoque dicendum est, si uxore sua hoc modo abuti maritus niteretur. Auctor enim Commentarii in sancti Pauli epistolas, qui inter sancti Ambrosii opera legitur, in caput septimum epistolæ

stolæ ad Corinthios perspicue ait: *Si apostatet vir, aut usum quærit uxoris intervertere, nec alii potest nubere mulier, nec reverti ad illum.* At subdunt Doctores id esse intelligendum, si se maritus nolit corrigere; & hoc quoque casu ad tempus dumtaxat faciendum esse divortium, non vero perpetuum. Eadem doctrina traditur de bestialitate, quæ jus divortii præbet.

Mulierem adulteram leges civiles hac pœna puniunt, ut dotem amittat; quam læsus maritus acquirit; hanc tamen non acquireret, si uxorem in adulterio deprehensam occideret, namque, ut lex ait, *qui propria auctoritate jus sibi dicit, etiam lege permittente legale commodum minime consequitur.* Mulier quoque propter mariti adulterium donationem nuptiarum causa factam lucratur; judicis tamen sententia requiritur, quæ hæc pœna est declaranda.

Quoad leges civiles, & jus Romanum, adulterii compensatio inter conjuges locum habet; hinc maritus adulterii reus uxoris suæ dotem non potest lucrari, nec uxor adultera donationes nuptiarum causa factas lucrari potest, *paria enim delicta mutua compensatione dissolvuntur* (L. viro atque uxore, ff. de solut. matrim.).

Pars innocens matrimonii debitum non tenetur solvere adulteræ, cum eidem de adulterio constat, etsi nondum judicis sententia adulterium declaratum est; hæc enim jure naturali matrimonio apposita est lex, ut fervanti fidem fides ferretur. Maritus adulter uxorem innocentem ad reddendum debitum non potest cogere; nec adultera uxor maritum innocentem.

CAPUT

CAPUT VIII.

Remedia adulteris fœminis suggerenda.

Rationes præcipuæ quibus in adulterio deestando uti possunt Confessarii, hæ sunt,

1. Dei præceptum, qui adulterium prohibet;
2. Pœna temporalis, qua in veteri Lege puniebantur adulteri; sic enim legitur in Levitico: *Morte moriantur & mœchus & adultera* (cap. 20.). Abimelech Ægypti Regem Deus punit, quia uxorem Abraham abstulerat, quamvis hanc Abraham uxorem esse ignoraret (Genes. 20. 3.). Davidem quoque severe punit propter adulterium, quod cum Betsabea commiserat (2. Reg. 24.). In Proverbiis ait Sapiens: *Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam* (Prov. 6.). In Sapia legitur: *Filii adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen eradicabitur; & siquidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit novissima senectus eorum; & si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem* (Sap. 3.). Domestica quoque mala sunt exponenda, quæ ex adulterio plerumque proficiscuntur, videlicet mutuam odium virum inter & uxorem, suspiciones mutue, contra alterius vitam insidiæ, bonorum dissipatio, malum filiis exemplum, proximo scandalum. Christiani matrimonii sanctitas est declaranda, quod Christi cum Ecclesia conjunctionis est figura, unde peculiaris Christianis conjugibus

bus non frangendi fidem obligatio oritur, quem-
admodum nec Ecclesiæ Christus, neque Christo
Ecclesia fidem umquam fregit.

Ad impediendum adulterium illud Apostoli
præceptum mulieribus est inculcandum: *Simi-
liter & mulieres in habitu ornato, cum verecun-
dia & sobrietate ornantes se, & non in tortis
crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste
pretiosa: sed quod decet mulieres, promittentes
pietatem per opera bona (1. Timoth. 2.).* Quæ
se ornandi tam est sollicita, se emptoribus vide-
tur exponere; qui heu nimium frequentes ad-
sunt, & capiunt incautas. Non tamen omnem
sui cultum debent negligere; id enim publicam
honestatem læderet, ipsasque ingratas maritis
faceret: sed valde invicem distant honestus cul-
tus, & fastus. Præterea periculi sunt admonen-
dæ, quod illis imminet, si familiariter nimis
cum viris versentur, venustis præcipue, ornatis-
que, qui illarum facilius fidem tentare possunt.
Munera suscipere non debent, præsertim pre-
tiosa; sunt enim hæc veluti arrhæ quædam.
Otium fugiant, & familiæ suæ curam gerant:
nulli matrifamilias licet domesticorum suorum
curam negligere, cum plebeæ, tum nobilis
fœminæ hoc est officium. Orationi vacent, sed
pie, non oscitanter, ut pleræque solent. Sacra-
mentorum frequentia optimum est remedium,
si devote suscipiantur. Utilis quoque est pio-
rum librorum lectio, qui veram solidamque
pietatem docent. Romanenses fabulæ procul
arceantur, quarum lectio nociva præcipue est
ada-

ada-

adolescentibus ac puellis, dum enim tam concinne & apte depicta vitia conspiciunt, vix mentem, animumque a pravis cogitationibus, affectibusque cohibere queunt.

CAPUT IX.

Remedia adulteris viris servientia.

Ad viros ab adulterio coercendos plurimum juvabit sancti Augustini textus, allatus epite superiori præter peculiare rationes, quæ a personis peti possunt, a sanitate vel negotiis, quæ per adulterium in præceptis prolabantur.

Illud vero præcipue est animadvertendum, nihil leve esse, ubi de castitate agitur. Ne sibi igitur quisquam blandiatur, suspectos tactus devitet; oscula neque det, neque accipiat; neque dicat, nullam adesse carnalem voluptatem, se morem sequi, ne rusticus aut inurbanus appareat, solumque in his aliquid esse levitatis. Novi quidam Casuistæ hanc doctrinam tradunt; sed sufficit naturalis honestas ad illam confutandam. Delicatus flos est castitas, qui non solum perit, si succidatur; sed tactu ipso, vel halitu pulchritudinem suam amittit.

Dei Filius hoc nobis expresse dedit præceptum: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam (Matth. 5.)* Hoc loquendi modo nobis præcipit, ut omnes

penitus peccati mortalis occasiones amputemus, nostrum quodcumque commodum, utilitatem, aut voluptatem posthabentes. Quomodo igitur hi Casuistæ dicere audent, licere homini domi suæ detinere mulierem, cum qua solitus est peccare; si illam domo expellens in nimiam tristitiam incideret, si alia famula non tam gratas pararet dapes: & satis esse si promittat, se non amplius cum illa peccaturum? Casuista alius docet, si quis cum famula peccet, non teneri hanc domo expellere, dummodo semel aut bis tantum in hebdomada cum illa peccet. Nonne omnem honestatis, pudoris, & religionis fenestram amisit, qui, ut peccandi occasionem retineat, parvam vitæ voluptatem, vel gustum, aut commodum æternæ salutis præfert? Si vera esset horum Casuistarum doctrina, non debuisset dicere Sapiens: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam (Prov. 6.).* Debuisset dicere sanctus Paulus, *Pugnate adversus fornicationem; non autem, Fugite fornicationem.*

Hæc Apostoli verba explicans sanctus Thomas, ait: „Cætera peccata pugnando vinci, „quia quo propius spectantur, eo nostra cura „& amore indigna magis conspiciuntur; fornicationem vero sola fuga vinci, quia quo propius hoc peccatum aspicitur, eo vehementius „tentamur, & inflammamur“. Post originale

nale

nale peccatum corpus nostrum est veluti sulphur, qui facillime ignem concipit; omnisque remouenda est favilla, ne ardeat. *Contra libidinis impetum*, ait sanctus Augustinus, *apprehende jugam, si vis habere victoriam.*

Non sunt igitur ii absolvendi, qui mulieres, cum quibus peccare solent, apud se detinent, quantumvis se cum illis non amplius peccaturos promittant; sed ad illarum expulsionem sunt compellendi, antequam absolvantur. Etsi enim verum sit eorum non peccandi propositum; atamen huic fidere neque pœnitens, neque Confessarius prudenter potest; siquidem *Qui amat periculum, peribit in illo (Eccles. 3.)*: fragilia vero & caduca hæc proposita esse, experientia quotidiana ostendit.

Egregie de hac re loquitur sanctus Augustinus, cujus textum integrum asserre hic liber: *Non dicunt, bono animo attendi, benigne attendi, de caritate diu aspexi. Proponunt sibi casum David, Et ad hoc illum magnum vident cecidisse, ut parvi nolint videre, unde possint cadere. Reprimunt enim oculos a petulantia, non se facile adjungunt, non miscent se mulieribus alienis, non levant oculos faciles ad aliena meniana, ad aliena solaria. De longe enim vidit David illam, in qua captus est. Mulier longe, libido prope; alibi erat, quod videret, in illo unde caderet. Attendenda ergo est infirmitas carnis, attendenda sunt verba Apostoli: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non dixit, non sit, sed non regnet. Inest peccatum cum de-*
lecta-

leſtaris, regnat ſi conſenſeris. Carnalis delectatio, præſertim uſque ad illicita & aliena progrediens, frænanda eſt, non relaxanda; imperio damanda, non in imperio collocanda. Attende ſecurus, ſi non habes unde moveris. Sed tu reſpondes: Fortiter tero. Numquid tu fortior David? Dixi enim, quod nec David fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior (in *Psalm. 50.*). Et alibi ſic ait: Inter omnia Chriſtianorum certamina ſola duriora ſunt prælia caſtitaſis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria. Gravem caſtitaſis ſortita eſt inimicum, qui quotidie vincitur & timetur. Et ideo nemo ſe falſa ſecuritate decipiat, nemo de ſuis viribus periculoſe præſumat; ſed audiat Apoſtolum dicentem: Fugite fornicationem (de *Honeſt. mulier. cap. 2.*). Illis quoque, qui negotium aliquod, vel artem exercent, in quibus ſæpius peccarunt, & prudenter timent ne impoſterum peccent, præci- piendum eſt, ut negotium illud, artemque defe- rant; animæ namque ſalus cæteris omnibus eſt anteferenda.

Neque vero licet peccandi periculo ſe expo- nere, ut procuretur proximi ſalus; exempli gratia meretrices inviſere, ut convertantur, præcipue ſi propter illas quis aliquando pecca- vit. Heroica hæc caritatis opera non ab omni- bus Deus requirit. Oportet ut qui hæc agenda ſuſcipiunt, Dei ſpiritu ducantur, qui illos robo- rat, & inter flammas ſervat illæſos: contra illos juſte deſerit, qui nimium viribus ſuis fidunt, & imprudentis zeli ſui motus inconſulto ſequuntur.

CAPUT X.

*Canonica contra sexti Præcepti violatores
Pœnæ.*

Si Presbyter fornicationem fecerit, pœnitentiam decem annorum faciat hoc modo: scilicet, quod sit inclusus sive a cæteris in aliquo loco remotus: sacco indutus, & humi prostratus misericordiam Dei jugiter implorans: primis tribus mensibus continuis a vespera in vesperam pane & aqua utatur, exceptis dominicis diebus, & Festis præcipuis; in quibus modico vino, pisciculis, & leguminibus recreetur. Elapsis autem sic tribus primis mensibus de illo loco exeat, non tamen in publicum procedat, ne populus in eum scandalizetur. Post hoc resumptis viribus aliquantulum unum annum, & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis Dominicis, & aliis præcipuis Festis, in quibus vino, sanguine, ovis, & caseo poterit uti. Finito sic primo anno, & dimidio particeps sit corporis Domini, & ad pacem veniat, & ad Psalmos cum aliis fratribus in choro ultimus recipiatur. Ad cornu tamen altaris non accedat, sed minorum tantum ordinum officia gerat. Deinde usque ad completorium septimi anni tres legitimas ferias, scilicet secundam, quartam & sextam, exceptis diebus paschalibus, qui sunt quinquaginta, in pane & aqua jejuner: secundam tamen feriam uno Psalterio, vel denario, si sit operarius, redimere poterit. Et sic cum septimum annum compleverit, potest eum Episcopus

Canonica contra sexti Præcepti Sc. 131

ad gradum pristinum revocare: ita tamen, ut in tribus sequentibus annis sine ulla redemptione omni sexta feria in pane & aqua jejundet (*Can. pœnitent. 1.*).

Si Presbyter cognovit filiam suam spiritua- lem &c. debet pœnitentiam agere duodecim an- nis, & etiam debet deponi, si crimen sit mani- festum: & peregrinando quindecim annis pœ- niteat, & postea monasterium intret, tota vita moraturus ibidem. Episcopus vero, qui talia commisit, pœniteat quindecim annis. Ipsa vero mulier debet omnia relinquere, & res suas pauperibus dare, & conversa usque ad mortem in monasterio Deo servire (*Can. 2.*).

Qui cognoscit duas conmatres, vel sorores, five uxor vivat five non, ad minus septem annis pœniteat, licet plus deberet (*Can. 5.*).

Qui cognoverit monialem five devotam, de- cem annis pœniteat, & similiter ipsa (*Can. 6.*).

Qui ignoranter cognoscit duas sorores, vel matrem & filiam, vel amitam & neptem pœ- niteat septem annis; si autem scienter, perpetuo priveretur conjugio (*Can. 8.*).

Qui duxit in uxorem eam, quam polluit per adulterium, pœniteat quinque annis (*Can. 8.*).

Qui contra naturam peccavit, si sit clericus, debet deponi, vel Religioni tradi, si corrigibi- lis appareat, ad perpetuam pœnitentiam pera- gendam; si vero sit laicus, a cœtu fidelium us- que ad condignam satisfactionem debet fieri alie- nus (*Can. 9.*).

Qui coierit cum brutis, pœniteat plus quam septem annis: & similiter pro incestu (*Can. 10.*).

Qui votum simplex violaverit, pœniteat tribus annis (*Can. 12.*).

Pro adulterio, pro pœnitentia dantur septem anni, & similiter pro fornicatione: licet non ita, ut aspera pœnitentia injungatur (*Can. 45.*).

Qui uxorem adulteram cognoscit, antequam pœniteat, tribus annis pœniteat (*Can. 47.*). Quomodo autem pœnitentia injungenda sit mulieri partum alterius supponenti, vel etiam de non suo viro concipienti habetur lib. V. cap. *Officii. De Pœnit. & Remission.*

Leges civiles maritum morte non puniunt, qui uxorem in adulterio deprehensam occidit. At leges ecclesiasticæ id vetant, quamvis maritus quandoque peccatum mortale forsan non committat, propter hujusce injuriæ atrocitatem, quæ mentem adeo turbat, ut deliberationem auferat. Longobardorum morem, qui uxores suas in adulterio deprehensas occidebant, Nicolaus Papa improbens ait: *Ecclesia mundanis istis legibus non constringitur.* Stephanus Papa maritum, qui uxorem suam propter adulterium volebat occidere, epistola ab hoc facinore dehortabatur. Canones pœnitentiæ illos subjiciunt, qui id faciunt. Ratio est; quia adulteram hoc in casu occidens mortalis peccati probabiliter ream occidit, ipsiusque damnationis causa est. Præterea nemo in propria causa æquus esse iudex potest;

potest; Magistratus enim sunt constituti, qui adulterii crimen puniant (a).

Porro mariti cum adultera uxore reconcilia-
tio, & admissi adulterii venia nec adeo difficilis
est, nec adeo probrosa, ut putatur; non enim
dubitamus peccatorum nostrorum veniam quoti-
die a Deo petere. Sic autem pœnitentem adul-
teram maritus recipiat (ait sanctus Augustinus
lib. 2. de adulter. conjug. c. 14.) non ut post
viri divortium adultera revocetur; sed ut post
Christi consortium adultera non vocetur.

(a) Hinc Alexander VII. ceu erroneam, ac cru-
delem istam damnavit propositionem: *Non pec-
cat maritus occidens propria auctoritate uxorem in
adulterio deprehensam.* Num. 19.

